

Balaji 174

2. 803.

~~Josephi Wagner & N. 1578~~

~~Prag 1808: 1 fl~~

~~[Horanyi Eleth]~~

Gold

JOSEPHUS II.

IN

CAMPIS ELYSIIS.

SOMNIUM

ELEUTHERII PANONII.

Sigismund Nagy

1790.

82



MASODLAT
A M. N. MUZEUM
SZECH. ORSZ.
KÖNYVTÁRBÓ

615702 005 61846

208
Bibliothèque
de Ballagi Géza

DE BALLAGI GÉZA.

Rara temporum felicitate, ubi sentire, quæ velis,
& quæ sentias, dicere licet. Tacit. Histor.
Lib. I.

A 57

Causa & Scopus Scriptionis.

Quotidianis innovationibus, quas Josephus II. Rom. Imperator, & Rex Hungariæ, quemadmodum in cæteris Provinciis, ita in Regno etiam Hungariæ suscepit, diu suppressus Gentis dolor, ruptis tandem repagulis, in apertum prorupit. Nullus toto in Regno angulus fuit, qui lamentis non resonuerit, nullus in Comitatibus Ordo, qui læsa sua jura, violatas libertates, immutatam Reipublicæ constitutionem, palam, publiceque questus non fuerit. Neque unius intra limites Hungariæ communis omnium stetit vociferatio; ad vicinos etiam populos, ad ipsam adeo Josephi Aulam penetravit.



Equidem Hungari, legum nostrarum præsidio tuti, quidquid egimus, recte a nobis actum fuisse persuasi sumus; sed boni nostri Vicini dubitant, alii aperte negant; multi, plus clamoris, quam vulneris fuisse, risu quodam sardonio criminantur. Parcendum iis est; nec enim mala nostra tota in extensione noverunt, non causas malorum, non jura, non libertates, quis scit? forte nec pretium aureæ illius libertatis, sine qua se nec vivere posse Hungarus existimat.

Fatendum tamen & id est, multa nos Josephi acta justo magis elevare, ne dicam carpere, quæ, si animum ejus e propinquo spectare licuisset, digna forte excusatione invenissemus. Neque id negandum est, malis, quibus premebamur, oculos nostros usque adeo perstrictos fuisse,


ut ne bona quidem, quæ benefica Josephi manus nobis vel contulit, vel paravit, jam videre potuerimus.

Quid remedii? unica veritas est, quæ abditas quantumvis animorum latebras retegere, densam oculorum caliginem dispellere, lucem tenebris affundere potest. Hanc persequi, hanc plenam protrahere in lucem, scopus est authoris Hungari. Videbunt ita vicini, pronoque agnoscent animo, multiplices Hungaris, easque justissimas lamentorum, reclamationum, cunctorumque eorum, quæ acta in Regno sunt, datas fuisse causas. Videbunt & Hungari, multas Josephi actiones laude potius, quam odio, si nec laude, nec odio, at excusatione, at humanæ certe imbecillitatis commiseratione dignas esse. Denique palam fiet, nec exteris, Hungaros post-



habitæ moderationis arguendi; nec Hungaris, Regem suum, jam e vivis sublatum, ex toto damnandi, æquam adesse, vel adfuisse rationem.

Quod vero Author Josephum in Elysiis collocet campis, & jam cum Matre sua, nostraque M. Theresia, jam cum Divis Patriæ nostræ Regibus, jam ipsos etiam Reges inter se loquentes inducat, cogitatio pervetus est, id fatetur. Adoptanda tamen videbatur propterea, quod mutuis umbrarum colloquiis veritas magis illustrari, causæque rerum, etiam latentium, magis in apricum deduci possint. Sperat nihilominus, quemvis, qui hæc Regum colloquia legerit, haud invito animo agniturum, vetus quidem inventum, novo tamen apparatu ita vestitum esse, ut, præter campos Elysiis, nihil non novum appa-



appareat. Quapropter, (ut verbis Terentii utar)

Æquum est (o Lectores!) vos cognoscere atque ignoscere,


Quæ veteres factitarunt, si faciunt novi. (a)

Id unum monitos vos adhuc esse cupit Hungarus Author; se toto hoc in opere nihil aliud, quam veritatem consuetari, quæ cum nuda sit, nude etiam proponi debuit. Absint ergo limi, ac invidia caligantes oculi, qui puram veritatis lucem non sufferunt! absint rabidi dentes, qui civem, vera loquentem, dilacerare solent! absit ferreus stomachus, qui cetera omnia, tantum non veritatem digerit! absit adamantinum cor, in quod veritas

A 4

non

(a) Terent. in Eunucho.



*non pénétrat, nec, ut in mollia aliorum
 corda se insinuet, suffert! absint denique
 impiæ manus, quæ candidæ illi veritati,
 de Cælo ad nos delapsæ, catenas cudere,
 fossas fodere, rogam succendere non per-
 horrescunt. Fidelis est author Principi,
 fidelis Patriæ, nec ullius sibi conscius cri-
 minis, nisi crimen sit, veritatem scribere.
 Datum Cosmopoli anno conditi orbis 1790.
 natæ vero libertatis Hungaricæ 904.*

Eleutherius Pannonius,

Cives! Liberi Hungari!

Regi mortuo non statuæ, non pyramides, non obelisci; sed in medio Regnorum, quibus antea dominabatur, magnum erigendum est Tribunal, in quo publica populi voce judicetur. Si Rempublicam recte, sapienterque gubernavit, si felicitatem populorum suorum provexit; si denique Regium solium virtutibus, Principe dignis, exornavit, & non vitiis contaminavit; tum enimvero dignus cenferi debet, ut gloriosum illius nomen, non statuis, non pyramidibus, non obeliscis, quæ fluxa sunt, sed cordibus omnium civium inscul-



ptum de nepote ad nepotem, ad ultimam usque posteritatem transmittatur.

Ita sensit, ita Ludovico XV. Galliarum Rege fati functo, scripsit liber gallus, publicæ interpretis opinionis! (a) Ita Ludovico XVI. paternum conscendenti folium, ipsa inaugurationis die, præsentem, audienteque innumera populi multitudine loquutus est, Magnus ille Antistes, populi gallicani orator. (b) Ita fecerunt vetustissimi Ægyptii,
apud

(a) Libri titulus est: aux Manes de Louis XV. dignum libero authore, dignum nobili gente epus.

(b) Episcopus, urbis ad aquas sextias (d' Aix) in celebri oratione, quam præsentem moderno Rege Ludovico XVI. Remis anno 1774. occasione coronationis dixit, alia inter ausus est Regem ad Tribunal publicæ opinionis vocare, in memoriam ei revocans, hoc aliquando futurum illud Tribunal, a quo iudicabitur.

apud quos Regem demortuum publico in Foro expositum, cuique civium accusare licuit: neque fecus ei, vel sepulturæ honor, vel magnifica parentalia decerni potuere, quam unanimi populi voto absoluto, communique omnium voce in numerum bonorum Principum relato. (c) .

Cives! liberi Hungari! en vixit Josephus, vixit Magnæ vestræ Theresiæ Filius, Magni Caroli Reparatoris vestri Nepos, vester denique Rex. Decessit e Theatro, in quo decennium non integrum, vario spectatorum sensu, opinione vulgi nunquam concordi, principem egit personam. Adest nunc jam tempus, ubi laude, an vituperio? memoria, an oblivione dignus sit,

libe-

(c) Diodor. L. I. C. 70. 72. 92.

libera pronunciare voce possitis. Nunc inquam; dum jam, beata illa sentiendi libertas nec Majestate amplius premitur, nec minas expavescit, nec adulatione corrumpitur.

Quid dico? — ah suspendite, o Cives, tantisper, suspendite judicium vestrum! Josephus jam in campis Elytiis stat: jam cum Theresia, tenera olim sua Matre, nunc rigida quarumvis actionum censore loquitur: jam conspectum illustrium Hungariæ Regum subit, & — judicium expectat: incius, quo sententiæ recident, incertus futuræ suæ fortis. — Ultima hæc scena est, in qua Josephum adhuc videmus, & in qua novem annorum Comædia, an Tragædia? imo vera Tragico — Comedia, post tot tantasque

involutiones, mire evolvitur. Interest, o
vere interest, ut oculos huc, mentesque
advertamus. Hic enimvero Josephum,
quem ut Principem novimus, noscimus ut
hominem: quem ut judicem veriti sumus,
ut reum conventum spectabimus: quem to-
tam quasi Orbis machinam commoventem
formidavimus, a quo vita, fortesque nostræ
pendebant, nunc humilem, anxium, fortis-
que suæ ignarum demirabimur. Grande
spectaculum! miranda Principum schola! Hic
sane Præpotentes terrarum Domini discunt,
quam gloriosum sit, populos juste, & cle-
menter regere, quam funestum, opprime-
re! Hic Ministri Aularum, quam pulcrum,
Reges fidis adjuvare consiliis, quam impium
perfidis! Hic populi omnes, quæ Regum
erga



erga se officia, quæ sua erga Reges! —
Quid multa? vos quoque discetis, Libera
Gens, Hungari, quem in Josepho Regem
amiseritis? dignumne grata memoria, an
ingrata? laude, an vituperio? & sic tan-
dem æquum, dignumque nobili populo de
eo iudicium ferre & poteritis, & — scietis.



COLLOQUIUM II.

S. Stephanus, Josephus, M. Theresia.

M. Ther. **F**ili mi Josephhe! ten' ego vi-
deo? — vix nonus abiit an-
nus, & jam ad beatas has sedes compares?

J. Mater, ah Mater dilecta, sine tuæ
hoc osculum manui . . . cuncta jam nihili
pendo, quæ in parvo illo sublunari mundo
reliqui, dum te, spem, præsidium, atque
unicum olim vitæ meæ solatium, hic am-
plecti licet.

M. Ther. Sed quid hoc rei est, quod
in medium illustriſis hujus Regum Hungariæ
cætus sine corona te venire conspicio? —
Non credo bonos meos Hungaros datæ olim
fidei tam cito oblitos esse.

J. Hoc equidem asseverare non aulin.
Imo constans totius gentis votum fuit, ut
corona more veteri me incingi paterer.

Sed



Sed ego inanem hanc, & vere superfluum
cerimoniam data opera subterfugi.

M. Ther. Superfluum?

J. Quidni Mater dilecta! Jam in ute-
ro tuo Rex ego Hungariæ fui. Veteri illo
electionis jure jam dudum Natio Hungara
se abdicavit. Cui ergo ufui inanis illa,
semper tamen sumtuosa coronationis solen-
nitas?

M. Ther. Obstupesco Fili mi, dum
hæc ex te audio. Nunquam hoc ego tibi
principium instillavi, nec ullus Majorum
tuorum, quos hic longo sedentes ordine
vides, exemplo docuit. Verum est, ge-
nerosam hanc gentem suam olim Domui
nostræ hereditario jure detulisse Regnum.
Sed delatio hæc spontanea fuit; fuit condi-
tionibus affecta, quarum prima, ac præci-
pua semper fuit: novus ut Rex corona in-
signiatur. Quo jure tu Publicæ, ac multo-
rum seculorum usu roboratæ legi te subtra-
here ausus es?

J. Lex hæc non rationi, sed præjudi-
catæ gentis opinioni innicitur.

M. Ther.

M. Ther. Præjudicatæ omnino opinioni; at lege, at consuetudine, at exemplis majorum tuorum firmatæ, qui, quamdiu diademate redimiti non fuerunt, ne Reges quidem se esse reputare solebant. Hoc idem apud alias etiam gentes, apud ipsum adeo Imperium Romanum, uti scis, obtinet. Cur alii Principes ab hac se, ut tu eam vocas, cerimonia non eximunt? cur tu Romani adeptus Imperii dignitatem Francofurti diadema tibi imponi passus es? Quod plus est; quoties tu vel Feudum Imperii contulisti, vel Equitem Ordinis creasti, id omiſſa solennitate, quam actui huic vetustas adjunxit, an tibi facere licuit?

J. Id verum est, sed & hæc crepundia ruditatem solum præteritorum seculorum sapiunt, a qua Philosophum Regem longe abesse oportet.

M. Ther. Mira sane Philosophia! tolle Religioni ceremonias, tolle publicis actibus, quid manebit? — Sed quid ego coronationem in Hungaria solennitatis nomine appello? amplius aliquid illa continetur. Enimvero Novus Hungariæ Rex, antequam



Corona cingatur, in conspectu Nationis jurjurando spondere debet, se jura Regni, & cujusque ordinis libertates, ac privilegia facta, tectaque conservare velle. Mutua hæc sunt inter Regem & populum pacta, quibus Rex populo, populus Regi se obstringit. Si Rex id præstare non vult, aut non audet; factò ostendit, se nec jura Regni, nec populi libertates servare velle. Et ideo miror sane patientiam Hungarorum, qui, te obnitente, Coronam alteri cuicumque Principi, prout olim jam factum esse meminini, non obtulerint.

J. O præveni ego hunc ictum. Coronam e Posonienti ablatam arce, in Regio meo gazophylacio Viennienti usque clausam tenui.

M. Ther. Tanto pejus. Qui Deum immortalem id facere ausus? an ignorabas, tot tantisque legibus, imo pactis etiam, & conventis cautum semper fuisse, ne Corona ullo unquam tempore e Regno auferatur? Non legisti, quanto studio gens Hungara hunc, quasi Divinitus sibi concessum thesaurum jam a novem inde seculis custodiverit?

verit? anne tibi ignotum esse poterat, hanc ipsam olim Coronam, quam unus e Majoribus nostris injuste detinuit, armis primum repetitam, tum re placidioribus composita, sexaginta mille nummum aureorum, quos populi liberalitas contulit, redemptam fuisse? (a) Tu itaque hoc Regni Palladium eripiendo, & legem infregisti, & pacta conventa violasti, & ipsam gentis proprietatem, quæ cuique Regum sacrosancta esse debet, læsisti.

J. Verum est, hac in re præcipiti nonnihil consilio actum abs me fuit. Sed agnovi errorem, & quoad licuit, correxi. Biduo namque ante ultimum vitæ halitum Hungaris eam restitui. (b)

B 2

M. Ther.

-
- (a) Elifabetha, Ladislai Posthumi Mater, Coronam Hungariæ Friderico III. Rom. Imperatori pignori dedit. Hanc pertinaciter detentam Johannes Hunniades, vastata Austria, armis repetiit. Subinde (1463.) Hungari, Mathia Corvino regnante, numeratis LX. mille aureis redemerunt.
- (b) Die 18. Februarii 1790. ex Aula Regia, binis Coronæ custodibus comitantibus ablata, innu-

M. Ther. Fili! si hac una in re præcipiti tuo lapsus fuisses consilio, Gens Hungara, uti mitem ejus indolem novi, id quidem, scio, voluntaria oblivione sepelivisset; sed multa, multa alia sunt, quæ parem, si non majorem animi tui produnt præcipitantiam. Intra paucos; quibus regnasti, annos totam quasi Hungariæ constitutionem, quam ego quadraginta admodum annis sollicitè custodivi, e cardine suo emovisti. Fæmina ego quidem fui, errare uti humana est imbecillitas potui; persuadere tamen mihi non possum, omnia mea, meorumque antecessorum instituta adeo prava fuisse, ut ne unum quidem suo loco consistere meritum fuerit.

J. Si causas, cur id a me factum sit, amata genitrix, nosse, aliter sane cogitares. Notum tibi perbene est, tempora
con-

mera populi multitudine cunctas vias, quibus ferebatur, oblidente, sacrumque hoc diadema festivis acclamationibus salutante, die 21. ejusdem Budam summa cum pompa pertigit, ibique in arce Regia ad locum, jussu defuncti Imperatoris jam præparatum, reposita est.

continuo mutari, nec leges tameſti olim ſaluberrimas, cuiſvis ætati accomodas eſſe. Multi ſæpe anni, imo ſecula prætereunt, donec hujus, aut illius inſtituti nævus cognoscatur. Dignusne eſt atro calculo Princeps, ſi veteribus nova ſubſtituat?

M. Ther. Quod leges perpetuæ eſſe non poſſint, quod rerum, temporumque viciffitudines alia abrogari conſtituta, condi alia poſtulent, id nemo, qui rem politicam vel a limine ſalutavit, in dubium vocare poteſt. Sed, an te latebat, Fili, poteſtatem leges in Hungaria ferendi inter Regem & populum ex æquo diviſam eſſe? quis tibi id juris tribuit, ut non audito, nec conſentiente populo, avitas ejus leges proprio arbitrio tollas, novasque prioribus ſubſtituas?

J. Aſſerunt id Hungari, ſed male. Habui ego fidos in Aula Conſiliarios, qui hunc mihi errorem, cui proh dolor! innutritus olim fui, exemerunt. Divus Stephanus, Colomanus, Ladislaus, omnesque primi ævi Principes leges pro arbitrio Hungaris dabant, quales volebant. Regum fuit



semper mandare, subditorum obsequi. Primus fuit seculo jam quarto maleficus ille Verböczius, Regno & Regi infidelis, & ideo publica lege proscriptus, qui noto suo in Tripartito, malo omine conscripto, Status etiam & Ordines Regni in communionem legum ferendarum vocare ausus est. Tu itaque Mater ita, uti cuncti tui Antecessores, in errorem acta es.

S. Steph. Quis hic est, qui hanc mihi, meisque successoribus ignominiam impingere audeat? nullas ego leges, nec illi, sine consensu Prælatorum, Baronum, Nobilium, & subinde civitatum Regiarum condidimus. Vel pauca illa Decreta, quæ plurimis aliis temporum injuria oblitteratis, adhuc supersunt, legere oportebat, ubi singulis quasi paginis *Regalis Concilii*, aut *senatus*, aut *Synodi*, quandoque *Conventus* disertis verbis mentio continetur. (c)

Ne-

(c) Sic in Decretis S. Steph. dicitur: *Secundum Decretum Regalis Senatus, secundum Regalis Decretum Concilii, secundum Decretum Senatus.*

Sub S. Ladislao Rege, *Leges, præsidente christianissimo Ungarorum Rege Ladislao cum universis*

Neque enim Diætæ, aut Comitiorum nomen eo adhuc tempore Hungaris cognitum fuit. Dum igitur Verböczius, leges a Populo proponi, & a Rege acceptari scripsit, scripsit id, quod inde a primis Hungariæ incunabulis semper in usu fuisse nemo adhuc dubitavit.

M. Ther. Noli, Dive Pater, noli his, quæ filius meus inconsiderate proloquutus est, commoveri. Peccavit ille, sed non sua; at, quæ communis Regum infelicitas est, Ministrorum suorum culpa. Non subiit nempe mentem illius, etsi reip̄sa (quod tamen, uti evidens est, a veritate abludit) Verböczius mala fide egisset, satis tamen

B 4

esse,

Regni Pontificibus, & Abbatibus nec non cunctis Optimatibus, cum testimonio totius Cleri, & populi, id est delegatis nunciis conditas esse, Decreti I. exordium testatur. In Decreto autem II. expressis verbis dicitur: Temporibus piissimi Ladislai Regis omnes nos Regni Pannoniæ Optimates conventum fecimus, & — — constituimus.

Illa enim ætate Magnatum nomen ignotum, Comitibus autem titulus tantum officiis adnexum fuit; sub nomenclatione igitur Optimatum,



esse, his, & non aliis conditionibus Regnum Ferdinando, ejusque Successoribus datum; his & non aliis Leopoldo, & Carolo, Avo & Genitori meo carissimis hereditarium successionis jus delatum fuisse. Quotquot e Domo Austriaca prognati sumus Principes, hanc potestatis legislativæ communionem & agnovimus lubenter, & jure etiam jurando firmavimus. Usus denique immemorabilis temporis pretiosam hanc Gentis Hungaricæ gemmam pleno semper in vigore conservavit. Quid ad hæc respondes fili mi Josephæ? Taces? — Et denique dicamus, quod res est. Bonus Princeps, qui Gentes suo regimini Divinitus concreditas sincere diligit, gratulari debet, se
cum

Prælatos unice, Barones, & Nobiles intellectos fuisse, plus quam certum est.

Sub Colomano: *Regni Principibus congregatis totius Senatus consultu S. Stephani Regis leges, paulo severiores mitigatæ sunt. In hujus Decretis identidem legitur: Placuit Regi communi Concilio, Decretum est in S. Synodo.*

Carolus Robertus, se unanimi Prælatorum & Baronum voto, & de consilio eorundem legem ærialem tulisse fatetur,

cum populo suo, tanquam Paterfamilias cum familia sua, consultare posse. Quantum solatium, dum videt, Nationem legibus, quas ipsa sibi cum Principe imposuit, contentam vivere. Facile jugum est, quod quis propria sponte susceperit; intolerabile, quod alterius jussu. Et si quando arduum etiam cuiquam videatur, actiones suas legis vinculo adstringi, ea se cogitatione solatur: *Nos fecimus.*

J. At quam id grave Monarchæ Austriacæ, cum videt, quamvis fere suo subditam sceptro Nationem, aliis atque aliis regi legibus. Bohemia equidem, Moravia, & Gallicia, quæ propriis aliquando legibus gubernabantur, jam Austriacis utcunque subjectæ sunt. Sed quis æquo animo ferat, aliis Hungariam, aliis Transilvaniam, aliis Belgium, aliis Mediolanum & Mantuam, quam reliquæ Domus nostræ Provinciæ, legibus uti? Quam fortunata est Turcia, & Moscovia, in quarum vastissimis licet ditioribus una tantum, eademque lex obtinet! Denique conveniens foret, ut toto in orbe unus Rex, una lex sit. — Hæc animo ego



reputavi meo: huc diuturni conatus mei, sed heu! frustranei, tendebant semper.

M. Ther. Fili, multa confundis, ad quæ ita breviter responderi non potest. Nihil ego nunc dicam, justum ne fuerit, Galliciam jure Hungarico revindicatam legibus Austriacis subdere. Fateri enim cogor debilitatem meam, qua me ad id persuaderi sivi. Nec Belgium commemorabo, ubi, quis principii hujus fructus sit, in propatulo est. Nec de Mediolano, & Mantua verbum factura sum, quas a vetustis se legibus dimotas esse, haud æquo ferre animo, tute ipse nosti. Hungariæ solum, quæ unicus scopus nostri sermonis est, paulisper immorari lubet. — Eo jam res in Austria temporum diuturnitate deducta est, ut ejus Duces, tanquam absoluti quidam Monarchæ, quidvis illic pro lubitu suo mandare, legesque, quoties in mentem venit, aut e re videtur, mutare veteres, novasque constituere possint. At Hungaria est quidem e primo suo instituto Regnum Monarchicum, sed legibus temperatum, est Regnum liberum. Dic fili! potestne libertas, & ser-



vitus una eademque lege adstringi? — Hungaria proprias semper, easque ab Austriacis toto Cælo diversas habuit leges. Leges hæ non arbitrio Principis, sed populi consensu, mutuis pactis & conventis, diplomatibusque, jurejurando firmatis, natæ sunt. Quo per superos jure illæ tolli, aliæque illis subtrudi possunt? — Denique quoties Corona Hungarica nostrum, qui te præcessimus, cuipiam more veterum Hungariæ Regum imposita fuit, an non fide, Deo debita, verboque nostro Regio nos obstrinximus, Hungariam a nobis nunquam ad normam vicinarum, sed propriis solum legibus gubernatum iri? Et merito id quidem. Ridiculum enim foret, si, uti jam Divus Rex Stephanus, exemplar Principum omnium, sensit: *Græcus Latinos græcis moribus*, aut *Latinus græcos latinis moribus* gubernaret. (a) Dic ergo, quid tibi in mentem venit, Hungaris germanicas leges dictare? quid Austriaci tui dixissent, si Hungaricas invitis iis repente — Quo jure,

(a) S. Stephani Dec. Lib. I. Cap. 8.

jure, quæve justitia a fundamentali hac lege recessus fieri potuit?

J. Hæc quidem in dubium vocari non possunt. Sed non assequor, quomodo Natio Hungara adeo etiam nunc cæca esse queat, ut legum, quas pro Austria tuli, præstantiam non videat, nec felicitatis inde indubie promanaturæ, particeps esse velit. Ægyptii olim a Chaldæis, Græci ab Ægyptiis, Romani a græcis leges adoptarunt. Cur? quia in partem felicitatis, quam alteri nationi leges sapienter latæ præstabant, & hæ venire cupiebant.

M. Ther. Quam parum, Fili mi! humanas mentes penetras. Non consistit, crede mihi, felicitas in re, sed in opinione. Tu putas leges a te conditas ad veram felicitatem ducere, sed quid si Hungari id non credunt? quid si ii infelicitatem ibi, ubi tu felicitatem, collocant suam? præstatne milliones hominum uni, vel unum millionibus se accommodare? si illi firmiter persuasi sunt, se suis unice legibus fortunatos esse, ecquid turbare eos oportuit? —

At

At at scire cuperem, quæ ergo illæ sint leges, de quibus tu usque adeo gloriaris?

J. Multas alias silentio prætermitto, vel solum Codicem legum civilium, & criminalium, tum ordinem Judicarium commemorasse sufficiat.

M. Ther. Legi hos libros, & attento animo legi. Multi e sublunari orbe ad felices hos campos delati hos tuos partus mihi, ac multis ex Illustri hoc Regum Hungariæ concilio legendos exhibuerunt.

J. Non dubito, quin uno omnium ore celebrati — — —

M. Ther. Nimium tu quidem tibi arrogas. Jam primum id abs te quæro, quis nam felix ille Solon, aut Lycurgus fuerit, qui leges tuas compilavit? nonne unicus homo? — Nam & id quoque nobis constat.

J. Id palam est.

M. Ther. Per Deum immortalem! & unicus homo tot tantisque gentibus leges se præscribere posse existimavit? — Nonne is, qui leges ferre cupit, gentis illius, pro qua conduntur, indolem, consuetudines, mores,



res, leges, statuta, virtutes, vitia nosse debet? Hæc enim si ignorat, quovis passu eum tanquam cæcum titubare oportet. Jam cedo, novitne tuus ille Legislatur Hungariam?

. Is quidem, quod sciam, in Hungaria nunquam fuit, sed — — —

M. Ther. Jam hoc unum sufficit. Bonus legislator, nisi tyrannus esse velit, dum leges condere in animum inducit, si non universos ordines, viros certe e cunctis Regni partibus præstantiores, reique publicæ apud prime gnaros convocat, iis mentem suam aperit, principia futuræ legislationis proponit, ac tandem leges Regno accommodas ab iis colligi, concinnari, in ordinem redigi, atque ita sibi proponi jubet. Ita magna Catharina, quam tu semper adorasti, in vasto suo Imperio fecit. Ita nunc Rex Galliarum Ludovicus Affinis tuus facit. Mille & amplius viri, scientiis, reique cum primis patriæ notitia conspici, e cunctis Regni provinciis, Comitatibus, ac Civitatibus populi suffragio delecti Luteciæ Parisiorum convenerunt, jamque ab uno ad-

modum anno in sola Regni constitutione stabilienda defudant. Tantæ molis est, novas leges, veteribus mutatis condere. Cur tu Fili mi? — — —

J. Id abs me exspectari non potuit, nec debuit. Enimvero vix una pars legum mearum Viennæ in lucem prodivit, jam cuncta Austriæ Dicasteria & Tribunalia ad eas impugnandas, quasi signo dato, consurrexerunt. Quid fuisset, si Hungaros legibus suis tanquam oraculis mordicus inhærentes, si Bohemos, si Polonos, si Italos, & Belgas, omnes fere juratos legum novarum ofores convocassem? nempe clamoribus, opinionumque discordia res tota primo statim in limine turbata, atque ita quanta pars gloriæ meæ detracta fuisset?

M. Ther. Pulchrum sane gloriæ nomen! multæ ad eam, fili mi, ducunt viæ, sed plures tantum propter eam transeunt. Felix Princeps, qui rectum eo tramitem invenit! — Jam communis illa Dicasteriorum Austriacorum, & Tribunalium vox te attentum reddere debebat. Varia opuscula, quæ continuo quasi Viennam inundabant,
omni-



omniumque, etiam ultimæ fortis civium manibus terebantur, præsertim famosum illud, quod sub ridiculo nomine *Schlendrian* in lucem prodiit, quid populus sentiat, palam faciebant. Ipsi adeo Advocati Vindobonenses, nunc tandem latam sibi stratam esse viam, qua clientes suos egregie, si velint, emungere, cursumque justitiæ prohibitu redardare possint, scripto tibi exhibitto, rara sane, quæve ab hocce hominum genere vix exspectari poterat, cum sinceritate demonstrarunt. Et tu, fili mi Josephhe, ad cuncta hæc parii instar marmoris surdus, atque immotus mansisti.

J. Ita decet Principem. Quævis novitas populi odium concitat. Si quisque Principum solis vulgi clamoribus a proposito se dimoveri passus fuisset, nec Solon, nec Lycurgus, nec Zoroaster, nec Confucius unquam exstitisset.

M. Ther. Crede mihi, Nate, dum nobilioris, dum sanioris Populi partis consilio, mutuaque cooperatione nova conduntur instituta, vulgus tacet. At, ubi unius tantum hominis capite universa commove-

tur machina, tum enimvero clamores populi, ad cælum usque resonant.

J. Cuncta hæc civium lamenta odium, non veritas peperit. Leges meæ erant breves, claræ, perspicuæ, cunctis accomodæ, & ideo utiles. Ac hæc quidem sunt, meo quidem judicio, præcipuæ illæ dotes, quas vulgo a Legislatoribus postulare solemus.

M. Ther. Recte ais, sed proh dolor! has ipsas tuis deesse legibus doleo, unam si brevitatem demas. Codex enim legum civilium, quem noto illo tuo legislatore obstetricante enixus es, pauculis solum paginis absolvitur, & quomodo id in tanta actionum civilium, quæ a legibus, tanquam ab acu quadam magnetica vim, ac directionem omnem accipere debebant, multitudine, & varietate fieri potuit?

J. Prima solum pars illa fuit, quæ Anno 1786. in lucem edita est. Sequenti fuissent plures, si Legislator meus opus tanti momenti maturare, aut vel paucorum illorum, quibus provincia illud revidendi concredita est, objectionibus respondere po-

tuiſſet. Interea ultima vitæ meæ dies len-
to paſſu advenit, & en! opus, quod feri
etiam Nepotes demirati fuiſſent, mancum,
imperfectumque manſit.

M. Ther. Vel primam operis partem,
aliis necdum perfectis, in lucem emittere
inconfultum fuit. Omnes politicæ admini-
ſtrationis partes mirabili quodam nexu jun-
ctæ ſunt. Qui partem ſine toto contexit,
confundit, non ordinat. Crede mihi, in
ipſo operis tui progreſſu centena occurrif-
ſent momenta, ob quæ ipſa hæc, quæ jam
vulgata eſt, pars mutari, ſi non ex integro
retexi debuifſet. — Sed mittamus hæc,
quid? crediſne Leges tuas claras & perſpi-
cuas eſſe?

J. Ita ſane.

M. Ther. Cur ergo tuus ille Legisla-
tor in has ipſas leges, atque in ordinem
judicarium, qui paucillis admodum foliis
comprehenditur, integra commentariorum
volumina ſcripſit? Lex clara, & perſpicua
commentariis non eget, & ſi eget, lex
non eſt. Id in jure Romano luculenter pa-
uit, quod innumeri illi interpretes, &

commentatores usque adeo confuderunt, ut adypo opus sit, qui verum legis sensum eruat. — Deinde si leges tuæ usque adeo planæ, ut tute existimas, fuerunt, quid opus fuit innumeris illis interpretationibus, quæ decuplo fere majus volumen, quam ipse codex, efficiunt? — Quod autem nec universales, nec cunctis tui olim imperii gentibus accommodæ leges tuæ fuerint, id quidem clarum est.

J. Parce, Genitrix; id contra, quam res est, a malevolis excogitatum — — —

M. Ther. Jam codex legum civilium, quem tu universalem appellas, ipsum fundamentum legum Hungaricarum subruit. Maltis aliis prætermittis, vel illa constitutio Hungariæ libertati mortale vulnus infligit, qua statuis Principem privilegia privatis civibus concessa pro libitu abrogare posse. Leges namque Hungariæ neminem, nisi legitime citatum, & juris ordine convictum, rebus suis, jureque suo quocunque privari admittunt. Si Princeps contrarium agit, Despotæ, non Principis nomen mereatur. Quid? quod successio prolium, & vi-



duarum legibus, & vetusta Regni consuetudine stabilita est. Novum successionis ordinem, quem tua illa Legislatio aliqua in parte statuit, præscribere idem est, ac proprietatem Nationis lædere, ac jura familiarum convellere. Hæ adeo, pluresque aliæ gravissimæ fuerunt causæ, cur supremum Regni Hungariæ tribunal ingenue fassum sit, codicem tuum, nisi ex integro mutetur, nullo pacto cum legibus Hungariæ conciliari posse,

J. Idem etiam de codice legum criminalium dictum fuit, & tamen autoritate denique mea ubique receptus —


M. Ther. Receptus vero? non pertigerunt ergo ad aures tuas lamenta populi? Hæc est miseranda Regum conditio. Ubi cunque sint, caterva semper adulatorum stipantur, ut adeo fletus populi ad eos raro penetrare possint, aut si penetrant, plerumque jam tarde. — Non crederes filii mi, leges tuæ de delictis, eorumque pœnis latæ quam perniciosæ Hungaris fuerint?

J. Rem novam mihi, Mater, narras.

M. Ther.



M. Ther. Tu pœnam mortis sustulisti. Utinam id toto in orbe fieri posset! quid magis Principi pio & clementi in votis esse deberet? — sed quamdiu in populo aliquo, vel una adhuc hominum classis trucem suam & barbaram retinet indolem; quamdiu adhuc aliquæ reperiuntur belluæ, quæ omnis expertes humanitatis concivium suorum vitæ ac fortunis insidiari, solius luctri causa, non formidant, crede, fili mi, pœnæ mortis eos subtrahere tantundem est, ac impunitatem iis concedere. Plurima, eaque tristissima exempla vel solum tuum, quantumcunque breve, proh dolor! Regnum exhibuit. Ego posteaquam provinciam Temesiensem prædociniis, ut scis, undique olim infestam, Hungariæ postliminio restitui, liberum justitiæ cursum Comitatibus, denuo instauratis, reliqui. Illi primo statim anno quosvis atrocium criminum reos persequi, silvas & campos lustrare, fures, ac latrones ubicunque repertos in carceres conjicere, atque alios quidem rotis frangere, alios suspendio enecare: & en! infelix illa Patria paulo post ex integro conquievit.



Tutæ redditæ sunt viæ: abditissimos per saltus media etiam nocte citra periculum peregrinari jam licuit; denique pax, tranquillitas, libertas, & gaudium bonis omnibus restituta. — Ast pœnam capitis abs te abrogatam esse, vixdum fama percrebuit, universa iterum provincia, ut prius, prædonum undique grassantium sædæ libidini, & crudelitati expositam se ingemuit. Quot præstantissimi cives, quos paulo opulentiores esse vulgo creditum est, in propriis suis ædibus crudelissima morte enecti, quot familiæ a sæda illa hominum fece miserum in modum spoliatæ, imo extinctæ? lacrimas vix teneo, cum lugubrem hanc mihi scenam ante oculos pono.

J. Sed plurimi eorum ad naves trahendas condemnati, promeritas utique dederunt pœnas.


M. Ther. Scio; sed hæc ipsa pœna, morti substituta, nimium lenis, & nimium crudelis fuit. Prædoni toto vitæ spatio durissimum vitæ genus sequenti, ac bellæ potius, quam homini assimili, naves trahere beneficium videbatur. Quantacunque hæc
pœna



pœna fuit, eam aliquot annorum curriculo pertulit, & sanus, vegetusque redeundo priorem iterum suam artem resumfit. At alter, qui publico Viennæ munere gesto, commodam sequi vitam asvevit, criminis falsi, aut peculatus reus, ideoque abs te damnatus, vix diebus aliquot naves traxit, jam horrendo sub onere fatiscens, ac multiplicatis verberum ictibus excruciatuſ con- cidit, & infelicem animam in aqua, vel in ripa edidit. Viden' Fili mi, quantopere necessarium sit, ut legislator pœnas non modo criminibus, sed hominum etiam indoli, & constitutioni commensuret. Univerſim, quid enim celem? codici tuo criminali debita proportio, imo ipsa adeo æquitas defuit.

J. Qui ita?

M. Ther. Quæris? justumne obsecro est, Nobilem & rusticum, aut alium infimæ sortis hominem, paris delicti rerum, uni eidemque pœnæ subdicere? Is, qui in via publica, ut exemplo utar, petulantem aliquem actum commisit, aliquot plagarum ictibus, juxta legem tuam, præter carceres,



cædi debuit. Nullum inter Nobilem & rusticum discrimen ponitur.

J. Ita est.

M. Ther. Rusticus verberibus forte jam asvetus, inflictos sibi ictus sustinebit, furet, & — ridebit. At Nobilis, præter dolorem corporis, perpetuam insuper infamiam, quoad vixerit, in cætu Nobilium aliorum circumferet. Is ergo simplicem solum tulit pœnam, hic morte graviolem. O Fili mi! alia — longe alia proportio in fratris tui Leopoldi codice criminali regnat. Satis procaci fuisset Nobili, si legitimo condemnatus iudicio 24. horarum spatii custodiae datus, aut accessus ei per aliquot menses ad publicas Comitatus Congregationes, nobilioremve quampiam civitatem prohibitus fuisset.

J. Qui publici se delicti reum facit, is in oculis meis Nobilis non est.

M. Ther. Et hoc est falsum illud principium, quo te usque adeo in transversum agi sivist, ut eos, quos capitalis criminis reos pronounciari contigit, ipsa etiam


Nobi-



Nobilitate exuendos statuere non dubitaveris. Ignotumne tibi fuit, casus quibus atrocis reus delicti ipsius etiam Nobilitatis jacturam pati debeat, legibus Hungariæ difertis verbis determinatos esse? Fuitne tua in potestate id, quod publica semel lege constitutum est, proprio arbitrio tollere, aut forte solenne hoc Regni statutum tuum illum legislatorem fugit? — Sed adhuc unum est, quod me, imo cunctos hos illustres Antecessores meos sane quam attentos reddidit. Omni ætate adulterium, blasphemia, & scelus illud, quod natura ipsa perhorefcit, summa inter crimina censebatur. Tu hæc inverfo prorsus ordine, politicis solum delictis annumerasti. Quid mirum, si tuo sub imperio omnis generis licentia caput suum usque adeo extulit? Ah Filii mi, Filii mi Josephi!

J. Mater parce gravioribus verbis —
— — si codex civilis & criminalis censuram Hungarorum subit, at ordo saltem Judiciarius — — —

M. Ther. Ordo Judiciarius? — Et in hoc multa reperio, quæ fateor approba-



re non aulim. Jam primum illud est, quod eum pro Hungaria supervacaneum prorsus fuisse existimem.

J. Qui obsecro?

M. Ther. Audi, dicam, quod sentio. Normam illam rei judicialis, quæ hætenus in Hungaria vim legis obtinuit, Carolus Robertus e Galliis intulit, Mathias Corvinus emendavit, Uladislaus II. auxit, Avus tuus Carolus hodierni ævi circumstantiis adaptavit. Pauca si demam, quæ adhuc castigatione opus habent, fateri ceteroquin debeo, nihil ea præstantius esse. Quævis causa, summi etiam momenti, brevissimo temporis intervallo finiri debet; ne tamen justitiæ cursus præcipitaretur, remedia quæpiam, tanquam totidem civilis libertatis adminicula, & præcipitantæ, quæ mater est injustitiæ, repagula inventa, constitutaque sunt, quibus & Judici se se recolligendi tempus datum, & causanti forte præcipitato jus suum sub ipso litis decursu sustentandi modus concessus.

J. At id vulgo notum est, lites in Hungaria totam sæpe æternitatem durare:
eum

eum, qui rem suam iustissimo licet titulo repetit, priusquam ea potiatur, miserum in modum divexari: denique infinitas esse advocatorum cavillationes.

M. Ther. Fili mi! Leges Hungariæ cuncta hæc clare, & distincte damnant, & rescindunt. Principis ergo fuit, vigorem legibus perperam observatis restituere, id quod ad perfectionem earum deest, consilio statuum supplere, quædam autem, quæ forte vitiosa sunt, rescicare. Non erat igitur necesse, sublatis ex integro veteribus, novas, gentique insvetas leges obtrudere, atque ita gravissimis ærarii sumptibus confusionem, quæ cunctis in Tribunalibus regnat, mercari. Neque credas, gravi id labore constitutum fuisse. Ipsa Natio jam a seculis legum suarum emendationem, non abrogationem urget. Cuncti itaque utili huic operi manus lubenter applicuissent, teque ingenti illa cura, & sollicitudine liberassent. Sed enim tu, ut vulnus sanares, ipsum adeo pedem amputare maluisti.

J. Legibus Austriacis ad Hungaros etiam translatis, cunctos Judiciorum abusus




uno ictu rescindi posse persuasus fui. At si veteribus eorum legibus in ordinem redigendis, corrigendisque manus admovissem, antequam res ad calcem deduci posset, corvi me ætatem vivere oportuisset.

M. Ther. Ninium tu quidem legibus Austriacis tribuis. Vix novus tuus ordo judiciarius, tanquam insolitum quoddam phenomenon illic apparuit, nonne? ipsa jam in Austria, ipsa in urbe Regia, mille in eum Titanes non saxis, sed crisibus armati manus levarunt. Judex & Advocatus, actor & Reusconventus, summi, infimique Magistratus cuncta clamoribus impleverunt; hinc tantæ mutationes, tantæ in dies quasi singulos interpretationes. Et tali tu opere, quod veneranda jam Austriæ Tribunalia plurimis implexum dubiis, ac difficultatibus senserunt, & toties demonstrarunt, nævos legislationis Hungaricæ tollere te posse sperabas, tenebras tenebris affudisti, Fiii, imo vel modicum illud lucis, quod superfuit, obfuscasti.

J. Nihil initio perfectum. Arbuscula, quæ hodie plantatur, tempore convalescit, uberes aliquando datura fructus.

M. Ther. Itaque fatius fuit, arborem jam dudum plantatam, resectis unice spuris stirpibus, colere, quam priore stirpitis, evulsa novam, superi norunt, quando fructum reddituram, plantare. — In lege Hungarica uno eodemque processu quæstiones de competentia iudicii, de actoratu terminatæ: evictores, & subevictores iudicati: testes auditi fuerunt: at tua lege singuli hi actus distinctos quasi processus, novos terminos, eosque longissimos requirunt. Itaque iustitiæ cursum longe magis, quam antea protrahi necesse fuit. — Quo accedit, quod Hungarus exiguis admodum sumtibus litem suam moverit, continuaverit, finiverit; cum nunc taxis, & sumtibus vix non ad incitas redigatur. Vel solam actionem parti Reæconventæ, si in loco iudicii non habitat, exhibere, plus æris requirit, quam tota antehac causa. Quid hinc sequutum? Hungari (uti plena suspicionum mens est humana) in eam denique sententiam abivere,



vere, te novo ordine judiciario non justitiam, sed ærarium tuum spectasse.

J. Regio me indignum nomine censuissem, si vilis hæc cogitatio vel mentem aliquando meam — —

M. Ther. Nihil ego de præclara tua, ac a majoribus tuis haud degenere indole ambigo; ipsi Hungari, qui ultra vulgus sapiunt, eam tibi maculam inurere nefas putabant. Sed quis vulgi ora obturabit? Ipsa illa in urbe, in qua habitabas, quando a conviciis liber fuisti? — Reges, recte agendo, vulgi dicteria spernere debent: caveant tamen, ne quoad licet, vel suspicioni ansam præbeant. Considerare se debent instar speculi, quod minimo halitu obscuratur. — Quid multis opus est? errasti leges proprio arbitrio, extra locum lege destinatum, ferendo. Sed sufficiant hæc pro primo nostro congressu. Plura ex me; velut tenera adhuc illa tua, & vel post facta etiam sincera Matre, audies. — Veni nunc, illustrium jam te antecessorum tuorum conspectui sistere volo.

J. At Mater, dic quæso, cur aliqui Regum Hungariæ in eminenti hoc loco, ubi te conspicio, non sedeant, verum segregati, a reliquis humiliorem paulo gradum occupent, nec ita quemadmodum illi fulgeant?

M. Ther. Hi quos humiliore in subfello conspicias, sunt ii, qui non tam populi, quam suis unice commodis studuerunt: qui Rempublicam suæ moderationi a supremo illo rerum omnium arbitro concreditam, non quidem scelerata sua vita, sua tamen incuria pessum ire siverunt: qui denique nullis conspicii meritis, itaque inglorii, ad beatas has sedes — — —

J. Insolito quodam pavore artus meos concuti sentio. — At, si numerum cunctorum Hungariæ Regum censeam, aliquos nec in hac eminentiore, nec in illa inferiore sede reperio.

M. Ther. Fili, hi sunt illi, qui thronum suum tyrannide, crudelitate, avaritia, impudicitia, aliisque sceleribus commacularunt. His ad perpetuas condemnatis tenebras,



bras, nunquam in confortium reliquorum
Hungariæ Regum venire fas est.

J. O Reges! cogitate hæc, dum tem-
pus suppetit. Felices, o ter quaterque fe-
lices, qui populos suos sapienter regunt,
& quæ sequutura aliquando sunt, semper
ante oculos habent!





COLLOQUIUM II.

Josephus, Maria Theresia.

J. Insolitus fateor metus me incessit, dum venerabiles Hungariæ Regum umbras pulcra cum Majestate sedentes conspexi. At mirari satis non possum, cur aliquæ ex his defixo oculo, & severiori, quam alii, cum supercilio me consideraverint.

M. Ther. Nativi sunt hi gentis Hungaræ Reges, magni illius Almi, & Arpadi, quos Ducali insignitos Corona vidisti, Nepotes. Quod frons eorum, alias folis instar serena, te conspecto, obnubilari aliquantunt visa tibi fuerit, mirari desine. Hoc signo patefacere volebart, quam ægre ferant, multa abs te in afflictionem gentis Hungaræ, atque in everisionem Avitarum ejus libertatum tentata actaque fuisse.

J. Abs me ais? superi avertant! Imo singulari eam semper, præ quam alias gentes,



tes, complexus sum amore. Nihil, quoad sceptrum tenui, magis mihi in votis fuit, quam eam felicem reddere, & si fata longius vitæ curriculum indulgissent, reddidissem.

M. Ther. De prono tuo erga Gentem hanc animo tantisper dubitare non volo. Quis enim, nisi ingratus, eam odio prosequatur? quæ me, quæ te, quæ totam Monarchiam Austriacam — — — Ah boni mei Hungari! his quoque in sedibus, in hac etiam ingenti a vobis distantia vestri usque memor sum. Utinam, ah utinam pluribus vobis beneficiis gratum meum animum testari potuissem! sed quod ego non potui, faciet Leopoldus meus.

J. Quid? de me taces Mater?

M. Ther. Sine Fili mi dolorem, qui intima mea viscera roderet, si dolori ad beatas has sedes accessus foret, silentio ut comprimam. Pomposis tu quidem verbis tuum erga Generosam hanc gentem affectum exaggeras; sed facta tua aliud loquuntur.

J. Mea



J. Mea facta? obsecro te Mater, ne quæ dicam; in malam accipias partem. Nullius mihi actionis conscius sum, Deos testor, nullius, qua justam præclaræ huic Genti offensionis ansam aliquando dedissem. Hungaros dilexi; si autem ii odium cum amore confundunt, non mea, sed illorum culpa est. O miseram Regum fortem! cum populis sibi subjectis beneficia se conferre credunt, hi plerumque tanquam maleficiis affecti superos inferosque invocant.

M. Ther. Quæ tu quæso beneficia commemoras? cedo (dissimulare namque jam non licet). an nativam Gentis alicujus linguam suppressere beneficium fuit? non est isthoc manifesti adversus eam odii indicium?

J. Non certe. — Nosti Mater, quantula pars Hungarorum sit, si Germanos, si Slavos, Croatas, Rascianos, Valachos, & Vandalos, qui Regnum hoc incolunt, in centum voces. Res mira! Hungarum in Hungaria, si fas dicere, quærere oportet. At Germanorum, quocunque pedem feras, ipsa etiam in Hungaria omnia plena. Ma-

xima Ditionum nostrarum pars e Germanis constat. — Nonne convenit, ut minor pars majori cedat? nonne optandum esset, ut eodem in Imperio unus Rex, una lex, unum idioma sit?

M. Ther. Fili mi, si tibi unquam in mentem venit, integram Nationem, quæ pluribus hominum millionibus constat, ad linguam toto Cælo diversam traducere te potle, jam nec montes transferre, nec maria exhaustire, arduum tibi videri debebat.

Id verum est, nullum in Europa Regnum esse, in quo tot, tantæque Gentes, moribus, & lingua diversæ habitarent, quot in sola Hungaria. Sed in hoc ipso Reges olim Hungariæ, ipse Divus Stephanus magnam gloriæ suæ partem reponebant. (a) Interim quantumcunque gens Hungara aliis
etiam

(a) *In hospitibus* (verba sunt S. Stephani ad Americam Filium suum) & *adventitiis viris tanta inest utilitas, ut digne sexto in Regalis dignitatis loco possit haberi.* — *Unius lingvæ, uniusque moris Regnum imbecille & fragile est.* Decret. L. 1. Cap. 6. Quis non profundam S. Regis Politicam, vel in hac una sententia videt?



etiam populis intermixta fit, fatendum tamen est, eam amplam admodum, & numerosam esse. Alpice vastum illud, quam late patet Hungariæ Regnum, Transilvaniam, quæ sola Regnum Bohemiæ extensione si non superat, adæquat certe, intuere. An non centenæ illic sunt Urbes, oppida, & pagi, ubi sola lingua Hungarica, aut maxima certe in parte dominatur? ullusne est Magnatum & Nobilium, qui hanc ignoret? Sed posito etiam, eam cæteris nationibus, simul sumtis, numero cedere, an propterea eam a nativo suo idiomate abduci posse vel credi potest? Numera secula, quæ jam præterierunt, ex quo Saxones, Thuringi, Svevi, in Hungariam intrarunt, & tamen medios inter Hungaros suam adhuc retinent idioma. Quid amplius desideras? ipsa adeo in Austria jam a pluribus seculis miserabiles aliquot Croatarum sunt pagelli, & tamen ne hi quidem inconcinnam suam unquam mutarunt, linguam inconcinnam inquam; Croatæ enim qui in Austria, & in quibusdam Comitatus Soproniensis pagis degunt, non eleganti



illo, quo veri Croatæ, sed hispido quodam, ac corrupto idiomate utuntur. Quod cum pugillo hominum integra ætate fieri non potuit, tu ne te cum integra una gente facere posse sperabas? O spes inanes!

J. Mater, haud recte verba mea accipis. Non erat mens mea linguam Hungaricam de medio tollere, sed profligata latina, nostram, germanicam nempe, magis communem reddere. Et vero si Regia aula, si Ministerium, si Dicasteria aulica, hoc uno idiomate utuntur, cunctaque tot Regnorum negotia solo eo tractantur, an non æquum est, ut cunctis Monarchiæ in partibus, Dicasteriis, & Magistratibus idem usus obtineat?

M. Ther. Linguam Germanicam Hungaro utilem, ac necessariam prope esse, non diffiteor. Vicinitas germaniæ, commercii ratio, nexusque cum Rege, ejusque ministerio, Dicasteriis, Tribunalibus, & populis id deprecantur. Sed aliud est, Fili mi, svadere, aliud vim inferre. — Toto regiminis mei tempore nullum ea de re mandatum

datum editum est; summa tamen in dies animi cum voluptate videbam, quanto studio Hungari, præsertim illius classis, quæ ceteris Nobilitate præstat, quo fervore ipsæ etiam Nobiles matronæ peregrinam hanc condiscere linguam adnisi fuerint. Non sunt, crede mihi, aut ita ignorantes, aut rerum suarum usque adeo incurii Hungari, ut multiplicem ejus utilitatem aut non perspicerent, aut studium illius sectari suapte non vellent; nullis ad id mandatis, nulla coactione, nullis opus est scholis normalibus. — Sed nunc, posteaquam, quo Tui tendant conatus, tractu temporis observarunt, o quæ tristis rerum facies! Jam id quoque, quod antea placuit, oderunt, & quod magno labore didicerunt, dedidicisse volent, Utinam vero odium hoc folius linguæ limitibus circum scriberetur. Sed ita sunt res humanæ, ut plerumque odium Gentis ad linguam, linguæ ad Gentem, ejusque amictum, mores, & instituta desciscat. En Fili mi Josephe, unica tua heu! nimium inconsiderata actione ædificium pulcre jam assurgens, destruxisti, non



sine ingenti labore, & summa Fratris tuæ Leopoldi prudentia restituendum.


J. At considera Mater, ullane in Europa Gens est, quæ latinum idioma, mortuum illud, & vel auditu ingratum, quod olim, cum barbaries densis adhuc tenebris universam tegebat Europam, cunctis Aulis, & Subsellis, Tribunalibus & Magistratibus familiare fuit, hoc jam illuminato seculo retinuerit?

M. Ther. Exemplum quod adducis, ad Hungariam trahi non potest. Italia, Gallia, Anglia, Germania & si vis, etiam Polonia uno eodemque idiomate toto in Regno utitur. Itaque patrio cuncta tractare negotia prudentiæ fuit. At Hungariam, præter Hungaros, & Germani, & Slavi, & Croatæ, & Rasciani, & Valachi, & Vandali, ut tute ipse paulo ante commemorabas, incolunt. Quamcunque ex his lingvis in publicam negotiorum administrationem adoptaveris, nihil ages. Hungaricam nec Germanus, nec Croata, nec Valachus intelliget, vicissim Germanicam nec Hungarus, nec Valachus, nec Croata. Debet ergo universalis aliqua lin-

lingva, omnibus ex æquo, qui ultra commune vulgus sapiunt, communis deligi, & hæc est latina; illa nempe, quæ jam a novem retro seculis tota in Hungaria civitate donata est, quave unica leges, constitutiones, Diplomata, privilegia, cuncta denique publica & privata monumenta conscripta sunt. —

J. Video nunc, quam inconsultum meum factum — — —

M. Ther. Inconsultum? iniquum dicere oportebat. Quæ enim æquitas fuit, viros de Republica optime meritos, propter solam lingvæ Germanicæ ignorantiam, a publicis muniis toto in Regno remove? potestne cum clementia Principis conciliari, ut præstantissimi quique Cives, qui Magistratus sibi commissos integra fide usque ad canos gesserunt, sub senium jam, nullo suo demerito, neque ullius unquam criminis rei indignæ viro Nobili exponantur egestati? Fuitne e re publica, publicis muneribus juvenes inexpertos, in triviis, & plateis collectos, aut ab opificiis abductos, externos etiam non paucos, tantum ideo,



quod germanico sermone lallare sciverunt, admovere, viris longo rerum usu exercitatis, inde turpiter eiectis. Utique exemplo Galliciae sapere oportebat, quam exule Polonico idiomate, tot mille vilissimæ etiam conditionis Opifices, servi, ipsi adeo Judæi, publicis jam admoti muneribus, inundarunt, nulla miseris Polonis & Ruthenis, propter solam linguæ Germanicæ imperitiam, inde remotis, alia relicta via, quam aut muniis præclare gestis decedere, aut interpretem sibi Germanum, tamen Judæum, proprio ære conducere. Ah Fiii! mirari jam non debes, si toto regiminis tui tempore fletus, & lamenta, quæ sæpe usque ad folium tuum penetrarunt, undique & undique audiebantur.


J. Dilecta genitrix, nova Reipublicæ coordinatio semper sacrificium aliquod exposcit. Nulla inde in me utilitas dimanavit. Hoc Hungari, si æquanimis sunt, vel ex nupero meo rescripto, quod nativa eorum lingua exaratum fuit, perspicere satis potuerunt.

M. Ther.

M. Ther. Hic quoque, Nate mi, nescio quomodo a recta veræ Politices semita haud parum recessisti. Nullus tuorum e domo Auftriaca antecessorum Hungaris hungarice unquam scripsit. Videbatur enim preposterum esse, lingua, quam ipse ignores, scribere, ita quemadmodum & loqui. Et vero, posteaquam a pluribus jam annis cuncta tua mandata tantum Germanica idiomate vestita apparuerunt, nunc repente Hungaricam iis vestem induere, quid aliud fuit, quam oleum igni affundere? gliscebatur adhuc in Natione, tantopere irritata, ignis, sed sub cineribus: viso tuo metu (quid enim mutatus repente loquendi tonus aliud indicare potuit?) jam palam erupit. Tota gens læsa sua jura cum strepitu reposcit, & quod mirum est, minari etiam — — — sed jam adest Leopoldus meus, cujus prudentia, æquitate, & clementia, (spem in Deo colloco) omnis gravior tempestas a percaro meo Regno avertetur.

J. Vere Hungari nullam justam, ad hæc prorumpendi causam — — —

M. Ther.




M. Ther. Postquam leges eorum immutasti, judicia intervertisti, linguam profligasti, iustam iis abs te conquerendi causam datam esse dubitas? Ubi sunt eorum supremi Comites? ubi Dicasteriorum auctoritas? ubi Generales Comitatum Congregationes? ubi libera Comitatum Magistratum electio? ubi Nobilitatem privilegia? ubi Ordinis Ecclesiastici jura? ubi Civitatum libertates? ubi quies? ubi securitas? — Ah! quam dispar nunc Regnum invenio, quod meo sub moderamine ita felix fuit!

J. Dura sunt hæc, quæ objicis. O si liceret cunctorum, quæ a me instituta sunt, rationes edere! videret orbis, tu quoque, cara Mater, videres, nihil abs me sine ratione actum fuisse. Nam primum Dicasteriorum auctoritatem non imminui, sed multis gradibus auxi.

M. Ther. Si Diis placet! — Bini, ut scis, in Hungaria fuerunt, & nunc quoque esse deberent senatus, quibus tanquam totidem axibus, tota Reipublicæ movebatur machina; unus Cancellaria Regia; alter, quem

quem nunc Consilium Locumtenentiale dicunt. Illa ex veteri Hungarorum instituto, Regalem illum senatum repræsentat, quem Divus olim Rex Stephanus, dignissimum Sacri hujus cætus caput, instituit, Regisque lateri nullo non tempore adhærere voluit. Cur? non certe, ut is quælibet Regis jussa cæce exequatur, sed ut sanis consiliis eî semper assistat, opera adjuvet, errantem instruat, honorem, dignitatem, & gloriam Regiæ Majestatis a quavis macula, Regni salutem a quovis insultu defendat. Quid tu? Cancellariam, illustrem illum senatum, perinde ac servum, quem herus, ut sibi a secretis esset, pretio conduxit, considerasti. Quidquid tibi imperare in mentem venit, id ea citra disquisitionem, an recte? exequi debuit. Quod si te Nobili libertate, vique muneris, a legibus tibi attributi monuit; si jussa tua Regni constitutioni, aut juribus statuum adversari reposuit, tu, quam ægre id feras, jam acribus verbis, jam mordentibus salibus prodidisti. — At Consilio Regio, cui Palatinus tot jam annis a Gente Hungara incassum suspiratus præ-

elle



esse semper deberet, tanquam Dicasterio, universam Nationem repræsentanti legum custodia concredita est. Quid tu? tanquam Tabellarium considerasti tuum, cujus unice muneris sit, mandata tua Regno nota reddere, & litteras e Regno scriptas ad te perferre. Itaque mandata, quantumvis primævæ Regni constitutioni, legibusque opposita, vel tacente Consilio, vel si quid aliquando obmovere ausum est, gravioribus verbis repressio, ad Regnum ferebantur. Omnis adeo libertas, aurea illa libertas, quam leges Palatino, Sanctoque huic Senatui tribuerunt, te Rege exulavit.

J. Unam semper veritatem sequi conatus sum, eam vel a privato quocunque, nedum a Dicasteriis meis, lubenti animo excepi.

M. Ther. Si veritatis unice studio tenebaris, cur binos hos senatus orantes, & dehortantes, ne supremorum Comitum munia, cum ipso Regni exordio nata, abroges, audire detrectasti?

J. Quales debuissent esse supremi Comites, quales fuerint, optime nosti Mater:

Quot-

Quotusquisque eorum suo in Comitatu habitavit? quid in iis creandis spectatum fuit? non merita, non ætas, non scientia, sed stemmatis præcellentia. Huic Comitatu præfuit imberbis adolescens, illi — — — Nolo singillatim quæque recensere. Ego omnia hæc maturo iudicio expendi, itaque plures Comitatus conjunxi, iisque Regios Commillarios, viros de Republica optime meritos, amplissimaque ornatos dignitate, & jurisdictione præfeci. Cogitabam facilius me decem in Regno viros regendis Comitibus idoneos deligere posse, quam quinquaginta, & ultra.

M. Ther. Leges Hungariæ statuunt, ut supremi Comites sint Nobiles, bona in Comitibus, quibus præfunt, possideant, in provinciis suo moderamini concreditis habitent, sint viri ætate graves, meritis conspicui, legum periti, longo rerum usu firmati. Principis igitur erat, legem implere, non tollere. Si Magnates his præditi dotibus deerant, quid vetuit viros amplo huic munio gerendo e Nobilium cætu præficere? si supremus Comes, Aulæ Regiæ,
vel



vel aliis Regni muneribus avocatus, aut senio, adversave valetudine impeditus in Comitatu stabilem figere sedem non potuit, eccur ei administrator adjunctus non fuit? — Equidem non diffiteor, me quoque vicio sexus, aut importunis adulatorum commendationibus abreptam, hac quandoque in parte exerrasse; nunquam tamen in mentem mihi venit, ipsa hæc munera abrogare.

J. Nec ego abrogavi. Nomen, dignitas, Sessio in Comitibus, supremis Comitibus, ut ante, mansit: sola functio ad Regios Commissarios translata est.

M. Ther. Quid tu mihi toties Regios tuos Commissarios commemoras? parvos tyrannos dicere debuisti. Tu te proprio arbitrio cuncta facere posse arbitratus es: idem & Commissarii illi tui. Nimum ampla potestas iis concessa, provincia agendorum ultra modum extensa, dignitas summa, tum spes in favore Principis; & quod summum est, jus absolutum quosvis Magistratus creandi, aut pro libitu muniis exuendi, eos ad quidvis audendum necessario
ani-



animare debebant. Cuncta ante eos, tanquam quosdam Terræ Principes, vitæque & mortis Dominos se flectebant; solam si genuum flexionem demas, terrestres esse Dii videbantur. — Absit, ut de omnibus promiscue Regiis Commissariis idem sentiam. Fuere inter eos viri Patriæ amantes, rectique in omnibus studiosi. Sed quis neget fuisse rursus & tales, qualium rudem licet, nunc tibi imaginem exhibui. Id quidem certe vulgo creditum fuisse mihi constat, nec tibi ignotum esse potuit. Quid mirum, si commune Gentis in eos odium exarlit. — Plus dicam, pone Commissarium tuum cunctis, quæ a tanto viro desiderari possunt, excultum esse dotibus; quid? potestne ab eo exspectari, ut quatuor, aut quinque Comitibus, parvi quasi Regni speciem præferentibus, unus idemque sufficiat?

J. Adfunt quovis in Comitatu bini Vice-Comites, cum Notario, Pronotariis, & scribis, tum in quovis circulo Judices Nobilium, & projudices. Horum ope Comitatus, uti oportebat, regi potuere. Hac



utique de causa cuique Regionum Comitissariorum plena a me delata est potestas, eos, quos velint, deligendi officiales.

M. Ther. Itane? Commissarius delegit, non Status & Ordines?

J. Sublatis Generalibus Comitatum Congregationibus liberam etiam Magistratum electionem cessasse confectaneum est. Nec credo, Mater, hoc te institutum improbare. Quid enim Congregationes aliud fuerunt, quam conventicula hominum clamantium, mutuisque salutationibus peractis, ac opiparis conviviis terminatis, rebus infectis, aut Vice-Comitis arbitrio relictis post bidui tridive moram domum redeuntium? — Quodsi novi Magistratus, id quod ordinarie quovis triennio fieri solebat, — aut certe debebat, deligendi fuere, omnia favore, partium studio, acclamationibus acta fuisse quis nescit?

M. Ther. Hic quoque, quam parum tibi Regni constitutio, ac verus ille Legum Hungariæ Spiritus cognitus sit, luculenter

pro-

pròdis. Natio Hungarica, inde a prima Regni origine semper jurium, ac libertatum suarum tenacissima, & ideo praequam suspiciosa fuit. Vel umbra laesionis jam illam anxiam, inquietam, & sollicitam reddere potuit. Hinc Regiae auctoritati, ne quando ad arbitrariam regnandi libidinem, despotismum inquam deflecteret, ipsis legibus ita ferentibus tanta tantoque numero posita sunt repagula. Enimvero si Regi aliquando in mentem venit, quidpiam, quod Regni sistemati, legibus patriis, aut libertatibus statuum opponeretur, mandare, primus jam se illico movit Regalis ille senatus, quem Regi semper adesse leges voluerunt. Ejus fuit omni quidem, quae Regiae Majestati debetur, cum veneratione, sed nihilo minore cum libertate Regem, sui, suaeque dignitatis immemorem monere, utque mandatum revocare velit, interpellare. — Quodsi Princeps spretis senatus sui consiliis, in proposito persistit, jam Palatinus, medius inter Regem, & populum illa, quam a legibus attributam habuit, amplissima profecto autoritate intercessit. Idem,




absente Palatino, ad Consilii Palatinalis, postea Locumtenentialis dicti, velut universam Gentem extra solitum comitorum tempus repræsentantis, & cogitare, & facere, pertinuit officium. — Sed enim, uti imbecilles sunt hominum mentes, & Regalem illum Senatam, & Palatinum, & adhaerens ejus dignitati Consilium aliquid fugere potuit. Forte vel voluntas, Regem admonendi iis defuit, vel ea Regis indoles, quam irritare haud sibi tutum putabant. Quid remedii? en singulis in Comitatus inclytum illud Statuum & Ordinum corpus, e Prælati, Baronibus, Nobilibus, Civitatumque, si quæ in ambitu Comitatus essent, delegatis compositum, quod si mandatum legibus contrarium ad se pertigisse observavit, mox quid agendum, mutuis in conventu Consiliis disquirere, inde ad repræsentationes prorumpere, Regem orare, Consilium & Cancellariam interpellare, mone-re, urgere, nec prius, quam Rege flexo, conquiescere consuevit. Cunctis nihil proficientibus tandem universa Gens illud, quod extremum est, legis remedium arripuit.

(a) Hoc ergo legale Corpus, hos Status & Ordines tu dissolvisti, & miraris adhuc, Regnum univcrsum attonitum hæfisse? — Conventus hi, seu Generales Regni Congregationes, Fili mi, multiplicem Reipublicæ adferunt utilitatem. Quælibet mandata Regia, modo legibus confona fint, ipsis Statibus & Ordinibus cooperantibus, modumque, quo effecta reddi possint, mutuo consilio quærentibus, facile, ac celeriter ad effectum deducuntur: negligens Vice-Comes, ceterique Comitatus Magistratuales, si forte muniis suis defuissent, publice arguantur: Supremus Comes Officii admoneatur: Studium partium, proprii lucri cupiditas, munerum acceptatio; denique quævis Ministrorum Comitatenfium malefacta pu-

E 3

bli-

(a) Ultimum legis remedium, quod hoc loco innuitur, sunt arma, quæ pro tuendis suis juribus & libertatibus, vi clausulæ, Decreto Andrea II. ad calcem insertæ, arripere Populo licuit. Sed, quia libertas hæc in licentiam forte aliquando descivit, Reges e Domo Austriaca a juramento, quo se tempore Coronationis obstringere solent, jam nunc hanc clausulam expressis verbis excipiunt.




blicam censuram subeunt: subditi a Dominis oppressi in tanta Nobilium multitudine defensores inveniunt: ærario Regio & Comitatus consulitur: neglecta in memoriam revocantur: paucis, multa pro commodo Populi, totiusque Comitatus utilitate statuuntur. — Quodsi quo in Comitatu a legali hoc tramite receditur, aut clamoribus, ut tu inquis, negotia inturbantur: Regi per leges amplissima delata est potestas, & abusus tollendi, & debitum conventibus his ordinem restituendi — — —


J. At Electiones. — —

M. Ther. Libera Magistratualium electio Statibus & Ordinibus ex Legum præscripto competit: non potest igitur, salvis Legibus, impediri, — sed nec debet. Nam & illa Reipublicæ multum utilis est. Officialis etenim, quisquis is in Comitatu sit, quot Nobiles, tot actionum suarum observatores, tot quasi Censores intuetur. Nemo Nobilium est, qui, quid a Rege imperatum, quid in Conventu Comitatus dispositum sit, (cuncta enim publice tractantur) ignoret: an igitur Magistratualis muneris sui

par-



partes expleat, nec ne? quisque & videt facile, & observat. Ita fit, ut Officialis, si vel minimo honoris ducitur stimulo, nihil non agat, ut id, quod muneris sui est, ad amissim expleat; probe enim perspicit, eadem ratione illo se gradu, quem occupat, dejici posse, quo ad eum pervenisset. — Denique dignum libera Natione est, ut quilibet, etiam minoris fortis Nobilis, cunctas Reipublicæ partes noscat, cursum negotiorum Politicorum, Judicialium, & Militarium intelligat, & de quavis publicæ administrationis materia, si opus sit, judicium suum depromere sciat. Tu ipse, dum me adhuc vivente, Regnum Hungariæ toties peragrabas, id sæpenumero observasti, mihi que non sine admiratione recensere solebas, minimum quandoque Nobilem, nullo licet publico munere conspicuum, qui forte obvius tibi factus est, constitutionem integri Comitatus ita tibi, omnia quæque scire cupienti, dextre enarrasse, ac si protocolium manu tenuisset. Non erat igitur res bona propterea, quod hic, aut illic abusus aliquis irrepserit, destruenda: sed tollere



abufum, atque id, quod vitiofum fuit, re-
fecare oportebat.

J. Fortunatum me, fi quis cuncta
hæc mihi ita, uti tu nunc, Genitrix amata,
ob oculos pofuiffet. Video nunc, tanquam
in speculo, me, dum vitiis nova legislatio-
ne occurrere ftudui, rem potius bene com-
paratam labefactaffe.

M. Ther. Ita fane eft. Nova tua le-
gislacione Vice-Comes fibi ipfi relictus,
præpofitique fibi Commiffarii, vel propter
Affinitatem, vel aliam ob caufam favore
inflatus egit, quod voluit: in Nobiles æque,
ac fubditos graffari potuit, ut libuit: deni-
que non Comitatus, fed Commiffarii potius
manus fuit. Id ipfum de aliis quoque Ma-
giftratualibus cogitandum, quorum multos
potestas, jam non ab integro Nobilium cor-
pore dependens, tum favor Vice-Comitis,
fpes denique impunitatis, audaces, impe-
riosos, crudos, negligentes, denique into-
lerabiles reddidit. Quem enim extimesce-
re debebant, dum jam congregationes, fla-
gellum illud malorum officialium, exspi-
rafte,

rasse, & eximium illud Nobilitatis corpus sine vita esse sciebant.

J. Sed tamen quæque negotia publica magis, quam antehac, ordinate, celeriterque decurrisse persuasus sum, quod ut tanto certius obtinerem, cuius Vice-Comitum turmam militum adjunxi.

M. Ther. Id, Fili mi, inter meum, tuumque regimen discriminis intercedere puto, quod sub te plus scriptum, quam factum; sub me plus factum, quam scriptum fuerit. Aliud item discrimen, quod mandatorum meorum effectum centenæ manus procuraverint, tuorum centenæ impederint. Meo enim sub imperio quisque se membrum Comitatus esse censuit; sub tuo, dum quisque de se, sine se cuncta agi vidit, omissa Reipublicæ cura, sua tantum curavit, illa, uti aliena, respexit. Denique sub me cuncta sponte fluebant; sub te etiam militari manu præsentem, parum profectum. — Militari manu! — Hem Fili mi Joseph!

J. Quid id rei est?



M. Ther. Tu Vice-Comitibus militem adjunxisti? cur id quælo? nempe ut rectus ordo in Comitatu vigeat, statutis tuis paritio concilietur, refractarii domentur. Bella cogitatio! sed scin' Hungari, uti acris ingenii Natio est, id aliam longe in partem acceperunt. Milites, non ut amicos, sed ut ministros despotismi considerarunt: quod plus, occultas admodum illas instructiones, quæ iis a te datæ sunt, mire penetrarunt.

J. Quas illas?

M. Ther. Sinamus hæc. Satis fit, quod invisum antehac in Comitibus hujus generis spectaculum, dissidentiam inter te, & Populum concitaverit, quam deinde ademptio armorum, toto in regno conquistorum, magis adhuc sufflaminavit.


J. Verum est, arma ignobili vulgo adimi præcepi. Id ratio publicæ securitatis exposcere videbatur.

M. Ther. Quamdiu ego moderamen Regni Hungariæ gessi, sua cuique arma intacta reliqui. Variis enim sæpenumero factis miser Populus expositus est. Jam enim
ei

ei a predonibus, jam a feris bestiis periculum imminet. Itaque arma illi tollere tantundem est, ac defensionis, quam natura cuique admittit, media ei eripere. Ita ego cogitavi. Ut vero Populus arma contra me convertat, equidem nunquam metui. Justus & clemens Princeps in medio subditorum, quantumcunque armati sint, tuto requiescit: Tyrannum nec integer exercitus defendet. — Quid quæso infelices Transilvani fecissent, si ferali illo in tumultu, quem Hora concitavit, inermes eos esse contigisset.

J. Adfuit ibi copiosus miles. — —


M. Ther. Adfuit, & abfuit. Dum infanda Valachorum fex arces, & castella exurebat, Ecclesias profanabat, nobilissimas matronas, & virgines proh dolor! violabat, miseros Nobiles, ubicunque repertos, ac innocuas eorum proles crudelem in modum perimebat; miles, ille miles, qui propter defensionem Patriæ sanguineo civium sudore alitur, immotus stetit. Quotquot infelices plebeculæ, vindictam spirantis, furori erepti, ad militis confugerunt præsidium,
id



id solum tristes audiverunt: *mandatum non habemus*. Quasi vero mandato opus foret, dum civium vita, fortunæ, bonaque periclitantur. Quid remedii miseris superfuit? nempe Ordo equestris, & periculi, & veteris suæ virtutis memor arma cepit, suæque fortitudine & audacia furentis plebis impetum stitit. Et tamen, quis credat? tu qui Nobiles pro salute Patriæ fortiter dimicantes laudibus, ac præmiis cumulare debuisses, eos potius propterea, quod summo illo in periculo arma capere, id est insurgere ausi fuerint, temeritatis arguere non dubitasti. Utinam litteras tuas, duri tui cordis testes, quæ in perpetuam rei memoriam in Tabulariis Comitatum asservantur, inde excipere, ac de medio hominum tollere possem! Quid dicet posteritas, eas aliquando lectura?

J. Mater, Mater dilecta. — —

M. Ther. Sed jam tempus colloquio nostro destinatum præteriit. Cras plura: Vale, Fili mi Josephe!





COLLOQUIUM III.

Josephus, Maria Theresia.

J. Postremum o Mater! colloquium usque adhuc menti obversatur meæ. Tot in Aula mea alebam Consiliarios: nullus eorum hæc, quæ tu, beata umbra, ita candide, ita aperte mihi — — — Tale est plerumque Aulicorum genus! consilia sua non veritati, sed affectionibus Principis attemperant. Non, quod bonum Populo, sed quod utile sibi, aut Principi gratum, quærunt: loquuntur, cum tacere; tacent, cum loqui deberent.

M. Ther. O Fili! sæpe culpam in Ministros conjicimus, cum ipsi potius culpandi essemus. Absit a Principe pervicacia, & stulta quædam præsentia: absit odium veritatis. absit infamis adulatorum turba; & veritas, beata illa veritas, e tenebris caput attollet, candor & libertas usque

que ad folium penetrabunt. — Habuisti in Aula tua venerandum illum Nestorem, quem tibi, velut optimam hereditatis partem, post fata mea reliqui: quem Europa uniuersa noscit, & veneratur, Populi adorant, posteritas inuidebit: qui reclusus inter parietes, intima Aularum penetrat, cujus unica cura salus Populi, unicum studium honor Principis, & decor Monarchiæ. Ille mihi Delphici instar fuit Apollinis; ejus ego verba, ut oracula, monita, ut præcepta, consilia, ut certa felicitis successus præfagia respexi — nec unquam erravi. Etiam cum tacuit, multum mihi dixit. (a) Cur tu illius consiliis — — —


J. Uti-

-
- (a) Cujusnam hic Ministri imago, quamvis rudi solum penicillo adumbrata exhibeatur, nemo est, quin primo statim obtutu obseruet. Est is venerandus ille Princeps Venceslaus Antonius a Kaunitz, supremus Aulæ Cæsareæ Regiæ, statusque Cancellarius, & primus Minister. Donec Hungaria stabit, dignum est, ut quisque probus Hungarus, immortalis hujus Viri gratiam recolat memoriam. Ille enim M. Theresiam consiliis, Regno nostro uti cunctis aliis Ditionibus semper propitiis rexit. Ille fuit,

J. Utinam, o utinam! fanis illius consiliis morem gessissem. Nunc video, quam salubria fuerunt, quæ svasit, quam vera, quæ proposuit; quam funesta, quæ prædixit. Sed ego homines, qui nec Populos noverunt, nec, quid Respublica sit, didicerunt, homines juvenes, inexpertos, nusquam fere notos collegi, & — — —

M. Ther. Novi optime. Infelix delectus, tuaque insuper præfidentia malorum omnium, quæ sequuta sunt, & sequentur, causa & origo fuit. Hinc, hinc, Fili, depressio Ordinis Ecclesiastici, hinc profanatio Ecclesiarum, hinc Sacrarum Virginum, Virorumque Religiosorum dissipatio, hinc cuncta

qui Josephi, proprio semper arbitrio regnare volentis, (cujus arbitrarii regiminis tristes sequelas magnus hic Minister sæpe ei prædixit) animum postremo ita commovit, ut cuncta, quæ intra novem annos in Hungaria instituit, Decreto suo Regio, die 28. Jan. anni modo currentis edito, proprio motu revocaverit, itaque Hungariam ad statum Anni 1780. quo nempe post decessum incomparabilis Reginae nostræ M. Theresiæ regni gubernacula cepit, reposuerit,



cta illa Decreta, quibus Religioni, libertati Ecclesiasticæ, ipsis adeo moribus tantum inflic- tum est vulnus.

J. Quid dicis Mater? — si in iis, quæ hæctenus mihi objecta sunt, censuram tuam promereor; at in his, quæ nunc commemoras, recte me egisse persuasus sum. Nimia Ordinis Ecclesiastici potentia, ambitio, luxus, otium, ac innumera alia vitia, quæ barbaries priorum seculorum peperit, sanatis aluit, Principum simplicitas firmavit, tandem aliquando medelam exposcebant.

M. Ther. Medelam, sed non excidium. Atque, cum jam & ad hanc delapi simus materiam, ut non oculis modo videas, sed manibus etiam palpes, quantopere hac quoque in parte a vero aberraveris scopo, audi, quæ Mater tibi solito cum candore dictura est. Præprimis dic mihi, cur Episcopos, & Prælatos a consiliis tuis removisti?

J. Quid ad Ecclesiasticos res politicæ? — Curet sua templa Sacerdos.

M. Ther.

M. Ther. Levius, Fili mi, hæc assumere videris, quam rei gravitas exposcat. Eja! suntne Ecclesiastici cives? aut forte Sacer Ordo jure eos civitatis exuit?

J. Non certe.

M. Ther. Si non, jura ergo Civium & illis competunt, si competunt, ab administratione Reipublicæ excludi non possunt. — Hoc apud cunctas Gentes, etiam barbaras, in usu fuit: in Hungaria autem publicis adeo legibus stabilitum est. Et vero, si Gallia suos Richellios & Fleurios, Hungaria suos Szécsenios & Pazmanos non habuisset, quantum splendoris ejus temporis Reipublicæ decessisset? — Status Prælatorum in Hungaria, uti nosti, primus inter Status Regni est, uti primus inter Prælatos Archiepiscopus Strigoniensis. Is namque ex vetusto Regni instituto non Primas modo, sed Supremus insuper Regni Cancellarius, ipsiusque Regiæ Personæ representans est. (a) Inde adeo Episcopi, aliique primæ

F

notæ

(a) Hinc *Personalis præsentia Regia* inde a prima Regni Hungariæ ætate dictus Regium sua sub



notæ Ecclesiastici utroque in Senatu, Regia nempe in Cancellaria, & Consilio, prout etiam in Supremis Regni Tribunalibus præcipuum semper locum tenebant. Inde Primati liberum semper fuit, & Consilio Regio, & supremo justitiæ Tribunali, id est, sic dictæ Tabulæ Septemvirali, quoties voluit, interesse: olim autem nunquam a Regis latere recessit. Quo jure tu vetustam hanc Regni consuetudinem, legesque, tanto numero conditas abrogasti?

J. Quanta onera Episcopo, si Sacro suo munere ita, uti convenit, fungi velit, incumbant, nosti Mater. Qui ergo justus, bonique publici Studiosus Princeps admittere potest, ut hi majore parte anni a Diœcesi sua absint, & politica, vel plane judiciaria tractent negotia?

M. Ther.

custodia sigillum habuit, ac Regali judicio (modo Tabulæ Regiæ) in locam Regis præfedit. Subinde hæc præsidendi dignitas ad personam secularem vi legum translata, eique nomen Personalis præsentia Regiæ (id est Archiepiscopi Strigonienfis) Locumtenentis, hodie dum usitatum, inditum est.



M. Ther. Hæ, quod ad Episcopos, considerationes, fateor pondus habent. At tamen res semper ad primum illud principium redit, Regi integrum haud esse, id quod Populi consensu olim coaluit, proprio arbitrio dissolvere. Indixisses, Fili mi, Comitata, difficultates proposuisses: quis scit, an non Status & Ordines hac etiam in re opportunum aliquod invenissent remedium. Una lex, ut Episcopi Diæcesani, unus aut duo, Consilii Regii, aut supremorum tribunalium consessibus per vices assideant, itaque uno post duorum, triumve mensium spatium ad Diæcesim suam recedente, alter juxta ordinem senii succedat, difficultatibus his forte obicem ponere potuisset. Novo huic instituto alia etiam maximi momenti commoda accessura fuisse, dubium non est. Ita enim cuncti per ordinem Episcopi, quorum compluribus Comitatum etiam moderatio incumbit, Sacrum hunc Senatium intrandi occasionem haberent: cursum negotiorum in complexu viderent: Principis diversa ordinantis scopum limpidius cognoscerent: & denique lumina, in medio tam



illustris Senatus hausta, ad Diæcesim reduces, cum aliis etiam Civibus communicarent. Ita in Russia Petrus olim primus instituit, & sapiens hæc constitutio summam ei etiam post fata laudem conservat.

J. At qui quæso Episcopus alteri succedens, cui negotiorum nexus ignotus est, rem Ecclesiasticam referret?

M. Ther. Episcopi non referre, sed audire, sapientique suo voto in medium consulere est. Alios de numero Canonico-
rum, aut virorum etiam Religiosorum, qui se ingenio, virtute, reique Ecclesiasticæ scientia præ ceteris in Regno forte distinguunt, confessibus adesse constanter oportet. Horum præsentia domi ita necessaria non est, quin ab aliis suppleri possit. His proinde provincia referendi deferenda foret.

J. Sed & hi — — —

M. Ther. Scio quid velis. Postquam tu aliqua Capitula sustulisti, alia diminuisti, Monasteriorum autem magnam partem delevisti, pauculos illos, qui supersunt, jam ab Ecclesiis, quibus serviunt,
sine

sine detrimento dimoveri non posse cogitas. Itane est?

J. Ita.

M. Ther. Sed quæro, quo jure hæc tu suscipere potuisti? Est ne in Regis arbitrio Capitula, lege Regni stabilita, tollere, aut imminuere? Ordines Religiosos consensu Gentis receptos abolere? Ecclesias Deo dicatas subruere? Fundationes, pia tuorum Antecessorum, Regnique Magnatum & Nobilium, sed præsertim Episcoporum, multorumque Ecclesiasticorum liberalitate institutas occupare?

J. Supremum in Hungaria jus Patronatus ad Regem pertinere edoctus sum, Amplissima hæc potestas est, nec ulla, quod sciam, lege restricta.

M. Ther. Est sane in Hungaria supremus Ecclesiarum Patronus Princeps, sed in quo patrocinium hoc consistit? non certe ut dissipet, sed conservet, non ut profliget, sed defendat, non ut destruat, sed ædificet. Non est Princeps rerum ad Ecclesias pertinentium Dominus, sed Admini-



strator, non Proprietarius, sed Custos. Hic est legum Hungariæ spiritus, hæc legislatorum intentio, hæc Populi, qui legem cum Principe condit, voluntas, cui qui refragatur, jura Populi violat, legem frangit, potestatis suæ limites excedit. — Porro Civem sua proprietate exuere, ulline in orbe Principi licet?


J. Nemo Ecclesiasticorum proprietarius — — —

M. Ther. Quid dicis? quisque eorum beneficii legitimo titulo adepti, quoad vivit, ita, sicut quiscunque alter Civis, Dominus est. Unicum illud inter unum & alium discrimen intercedit, quod ille Dominus rei suæ, hic usufructuarius tantum fit; ille de re, hic de fructu rei disponere possit, illius denique successio ad posteros, hujus ad Regiam collationem recidat. Princeps igitur, qui Civem sua re, & Ecclesiasticum suo usufructu privat, perinde hostis est Reipublicæ. — Et quomodo, per Deum, molle alias, ac tenerum tuum cor, usque adeo obrigescere potuit, ut Viros e Monasteriis ejectos, Virgines e Sacris cancellis
extra-

extractas, multos senes, multos debiles cum fame & miseris colluctari, sine intimo animi sensu videre potueris? quomodo misera Sacrarum Virginum fors te non commovit, quæ per urbes & vicos, tanquam oves disperisæ, mille periculis expositæ oberrabant, & oberrant etiamnum?

J. Religiosis utriusque sexus abunde pensione provisum est. Quod autem Abbatias, Præposituras, Monasteria, Claustra, imo collegiatis etiam Ecclesias sustulerim, necessitas coegit. Parochiæ, quarum tanta in Hungaria penuria est, multiplicari, dotari, ac necessariis subsistendi mediis provideri debuere. Unde pro his fundus?

M. Ther. Si pensionibus a te designatis ingentem illam jacturam, quam infelix exulum Religiosorum turba perpessa est, compensari potuisse credis, næ tu vehementer falleris. Victum, habitationem, vestitum, medicamenta, servitium, commoditatem, cuncta denique vitæ necessaria Monasterium iis subministravit. Computa singula, & videbis, quam exilis, quam impar his vel decima in parte supplendis sit



penſio, quam dedifti. Quod triftiffimum
eſt, ii, qui ante dominabantur, nunc fer-
viunt; qui domi ſuæ habitarunt, nunc ex-
tores alienis ſub tectis latitant; qui pro-
pria ex penu ſine curis victitabant, nunc
aliena quadra vivunt, & quaſi mendici tu
ſolum ex gratia ægre animam trahunt. Sel-
enim infelices has designationum tuarum
victimas fieri oportuit, ut fundus, pro
novis Parochiis conſtituendis conflaretur.
Quam inverſa cogitandi ratio! unum exiſ,
ut alium veſtias; unum e domo ſua ex-
pellis, ut alteri habitationem pares. Fuit
ſane, fuit & meum ſemper, quoad vixi,
idque ſummum deſiderium, in vaſto Hun-
gariæ Regno, tot bellis civilibus attrito,
tot incurſionibus hoſtium deſolato, Eccleſias
reſtabilire, & miſero, omnique ſpiritualli
tolatio deſtituto populo Paſtores ubique da-
re. Eum in finem caſſam Parochorum, ab
Avo tuo conſtitutam toto regiminis mei
curriculo, quoad licuit, locupletare ſtudi.
Piis meis votis Epiſcoporum etiam, alio-
rumque Benefactorum liberalitas acceſſit.
His præſidiis munita, multas, quæ Dei eſt
beni-

benignitas, Parochias exstruxi, Parochorum omni subsidio carentium afflictam sortem sublevavi, Tempia constitui, Altaria erexi, Ecclesias sacra suppellectili, ubicunque potui, providi, factura plus, si vel reditus cassæ Parochorum admisissent, vel bellorum, quibus jactabar, dura necessitas votis meis metam non posuisset. Nunquam tamen in mentem mihi venit, ut fundum Religionis e ruina aliorum ædificarem, aut Sacrificium supremo Numini e sanguine Civium meorum offerrem, vel paucos denique cum detrimento totius Regni locupletarem.

J. Cum detrimento totius Regni? emolumento debebas dicere.

M. Ther. Insigne, si Diis placet, emolumentum! Omnes Ecclesiarum, Capitulorum, Monasteriorum pecunias; cuncta Confraternitatum, aliorumque piorum institutorum capitalia, universas fundationes, nulla excepta, ad ærarium tuum abstraxisti; quid hinc secutum? Bonorum possessores, quorum fundis pecuniæ hæ illocatæ fuerunt, ad has reddendas vi adhibita ad-



fricti, in summas repente præcipitati sunt angustias. Alii jacturam bonorum passi: alii ad ultimum obulum excussi: alii (quamquam paucis vel ea fortuna affulserit) ære alieno in exteris provinciis ægerime licet, ac inaudita cum usura, conflato vix se, suasque domos impendenti ruinæ eripuerunt. Quid mirum, si inde a tempore Ladislai Cumanii nunquam tanta in Regno parati æris penuria observata fuerit. Hoc vero modo exhausta totius quasi Regni medulla, res agraria adhæsit, commercium, quod meo sub regimine vix caput extollere cepit, concidit, industria Gentis ex integro suffocata est. Et hæc tu emolumenta Regni vocas?


J. Non possum mihi temperare, quin intimum animi mei dolorem coram te Mater expromam, cum te ea in opinione versari video, quasi vero pias ego fundationes ad ærarium meum abstraxissem. Ablit! sacra mihi quovis tempore res Fundus Religionis — —

M. Ther. Meministine Fili, illius iconis, quæ paucos ante annos Viennæ in tui oppro-

opprobrium circumferebatur? Duas illa ci-
 stas repræsentabat, quarum altera alteri in-
 cubuit. Superiori in medio pertusæ, *cassa*
Religionis, inferiori, *Cassa bellica* inscri-
 ptum fuit. Quid vulgus pungente hac
 epygraphie significare voluit? — Nempe
 cunctas fundationes ad tuum denique æra-
 rium influere. Hæc vulgi suspicio fuit, hoc
 passim credebatur.

J. Sed finistre.

M. Ther. Novi tuam indolem; itaque
 absit, ut quæ vulgus tibi appetit, ego cre-
 dam. Id tamen verum est, utrumque æra-
 rium, & Camerale nempe, & piarum fun-
 dationum distinctis licet sub Præfectis, ge-
 nerali unius administrationi commissum fuis-
 se: id verum est, cunctas fundationum
 pecunias Viennam ad Cæsareum ærarium
 tuum translatas, Fundoque religionis tan-
 tum scriptas syngraphas, seu obligatorias,
 ut vulgo dicunt, traditas esse: id quoque
 verum, fundum studiorum, qui præclara
 illa, ac de Republica tam bene merita
 virorum Religiosorum societate, voluntate
 summi Pontificis, & ex mutuo Principum
 Chri-



Christianorum consensu, jam sub me suppressa, conflatus est, & a Politico Regni Dicasterio administrabatur, te mandante, ad Cameram pertractum, itaque cum Camerali ærario conjunctum fuisse; denique & id verum, te de Capitalibus ad Fundum Religionis, aut studiorum pertinentibus, & jam ærarium tuum ingressis, non majorem, quam $3\frac{1}{2}$ florenorum usuram dependi justisse. Duo hinc deducuntur summi momenti corollaria: unum, quod fundationes a te imminutæ: alterum, quod periculo expositæ fuerint.

J. Qui quæso?

M. Ther. Imminutæ, quia usura, quam tu dependebas, uno & dimidio, imo duobus & dimidio florenis minor fuit, quam quæ a fundorum Dominis antea solvebatur. In periculum conjectæ; quia, si gravius aliquod bellum emerferit; ærario belli sumptibus exhausto, menti fundatorum satisfieri non poterit. Quod fatum mihi proh dolor! bello septennali accidit, ubi in eas conjecta sum angustias, ut miseris officialibus, viduabus, & pupillis chartas in locum parati

rati æris obtrudere coacta fuerim. Quid tum fiet? nempe Parochus famem patietur, Religiosi sine pensionibus marcescent, Gymnasia Magistris carebunt, Ecclesiæ subsidiis destituentur. — Sed transeant hæc; tantum in cunctis his modus, Christiano Principe magis dignus, a te adhibitus fuisset.

J. Equidem Christianum me omni tempore palam professus sum, neque puto, ullum e meis subditis id in dubium vocare.

M. Ther. Quid? non tu ipse justam Civibus tuis id aliter de te sentiendi præbuiisti ansam? Quis sine horrore videre potuit, domus Deo antea dicatas, Tempia & Sacella, hic in tabernas vinarias, illic in Theatra, alibi in vilissimos quosque usus converti? cui Christianorum capilli arrecti non sunt, cum sacros calices, & apparatus, lampades, & candelabra, icones, & thuribula e templis efferi, sub hasta vendi, ab infima plebecula, ab ipsis adeo Judæis, manibus tractari, circumferri, & heu! in abiectissimos quosque usus applicari vidit? quis sine lachrimis spectare potuit, Sancto-
rum




rum corpora, publicæ olim devotioni exposita, in terram defodi, Sacras reliquias huc & illuc disjici, margaritas & uniones e Sacris vasis excerptas, mulierum collaribus, & inauribus inferi, vestes Sacras in fæmineum transformari luxum? O Fili mi! gravia, ne dicam, mortifera hæc fuerunt Religionis Christianæ, quam profitebaris, vulnera, periculofissimi hi scopuli, in quibus multorum Civium Religio & Pietas triste passa est naufragium. Et quis hæc, & quando, & quomodo reparabit? omnia hæc onera in Leopoldum nempe meum recident.

J. Ah Mater! cuncta hæc mihi conficia factorum mens, ultimis vitæ diebus, tanquam in speculo quodam exhibuit. Agnovi, sed jam sero nimis, quam impia fuerunt assentatorum consilia, quam inconsiderata mea credulitas. Sed tamen pius, & honestus finis, quem unice ante oculos habui, sincerum Religionis Christianæ, quam superstitionis priorum seculorum, abusus a Monachis inducti, Episcoporum potestatis a Deo sibi concessæ oblivio, ignorantia, aut incu-

incuria usque adeo deformavit, ad primæ-
vum splendorem revocandæ studium, deni-
que spes Ecclesiam, Populosque meos ex
institutis tot novis Parochiis, si non præ-
sente, futura certe ætate uberrimos captu-
ros fructus, horum inquam omnium confi-
deratio oleum vulneri affudit meo.

M. Ther. Fili mi! finis, quem tibi
præfixisti, fuit saluberrimus, intentio pura,
studium propagandæ Religionis sincerum.
Nullum de his vel mihi, quæ te educavi,
vel illis, qui te penitus noverunt, dubium
succurrit; sed nemo unus etiam est, quin
tot tantasque tuas curas irritas, & inanes;
tot incepta sine successu; tot ordinationes
cum strepitu, violentia, & multorum ex-
acerbatione editas, sine utilitate manere
deploret. Grande & viribus tuis impar
molitus es ædificium. Calcem, lapides,
omnisque generis materiam præparasti, ar-
chitectos, qui tibi insignem tantæ molis
iconem in charta delinearunt, adhibuisti;
sed ubi sunt operarii?

J. Ubi? de his quoque prospexi.
Aspice Generalia Seminaria a me constitu-
ta,



ta, Presbyteria in quavis Diœcesi erecta; Clauftra tibi antehac, fuæque unice commoditati, nunc faluti animarum intenta, ftudia Theologica, ab inveteratis Romanæ jurisprudentiæ nævis repurgata, Gymnafia & Licæa emendata, & fateri cogeris — — —

M. Ther. Hæc tu ita tibi perfvades, fed pauci temporis intervallum intercedet, cum & Seminaria illa tua, & Presbyteria, & Clauftra, & Lycæa vacua ftabunt. Imminutum undique & Cleri, & Studentium reperio numerum. Paulo post ludo literario difcipulus, Seminario Clericus, Epifcopis Presbyter, Cathedris verbi Divini præco, populo pafior deerit.

J. Superi id omen avertant!

M. Ther. Cuncta hæc tibi Epifcopi, quorum id muneris erat, tuaque adeo Diœcæteria ob oculos pofuerunt. Cur non credidifti? cur remedium, dum tempus erat, a te pofitum non fuit?

J. Non affequir, qui id factum fit, fierive potuerit?

M. Ther.

M. Ther. Dicam. Jam primum illud est, quod conniventia dicam tua, an voluntate, ille status, cui omnis debetur veneratio, publico expositus sit deridiculo. Inundabant tuam Metropolim infames libelli, quibus in miseros, & meliori sorte dignos Monachos, in Prælatos, in sacros Curiones, in ipsos adeo Episcopos, quid dico? in ipsum etiam Ecclesiæ Vindobonensis Metropolitam, Virum ætate, Stemmatis præcellentia, & de Republica Christiana optime meritum convitia undique, quasi signo dato, jactabantur. Quidquid bene aliquando a sacro hoc cætu actum fuit, id silentio pressum, quidquid erratum, e tenebris in apricum deductum fuit; vulgus, uti quavis novitate facile capitur, scripta ubique sparsa, cum aviditate legit, Viros, quos antea coluit, derisit, pias consuetudines, quas olim ut sanctas respexit, tanquam figmenta Monachorum contempsit, monita sacrorum Curionum, quibus ut oraculis antehæc movebatur, risu excepit. Ita sensim & auctoritas Episcoporum diminuta est, & reverentia sacrorum Virorum recessit, & Re-



ligio elanguit. Quis ergo ad statum, tantopere contemptum, jam deinceps animum adjiciat?


J. Principia politica secum tulerunt, ut vetus ille censuræ rigor, ac Tyrannis, restituta tandem scribendi libertate, e Regnis meis — — —

M. Ther. Id equidem, Fili mi, perpetuum tibi in annalibus Austriacis nomen peperit, quod indignam illam, quæ summa etiam ingenia pressit, censuræ coactionem sustuleris. Felix Princeps, fortunata Respublica, ubi veritas in throno sedet, libertas scribendi loquendique dominatur, ac sensus suos etiam de Principe, de Ministerio, de publica negotiorum administratione cuique probo Civi, sine metu expromere licet. Ita sane Princeps vocem populi sui, & illam quidem, nullo furo aspersam, audit, attentus redditur, & errorem, si quem admittit, vitium, si quod in Rempublicam irrepfit, onera, quæ subditos opprimunt, & videt, & corrigendi tempus nanciscitur. Sed tamen eadem illa censura etiam atque etiam vigilare debet, ne Princeps, ne Ministri,

nistri, ne Religio, ne Sacerdotium, ne minimus quisque Civis, scriptis, verbisque impune lædatur, ne mores labefactentur, neu' libera convitiatorum dicacitate, aut amaris salibus, quiscunque is sit, publico derisui, aut honoris periculo exponatur. — Sed jam quid de Seminariis tuis sentiam, audi.

J. Quo animo ea a me condita, quomodo coordinata sint, nosti utique Mater.

M. Ther. Novi optime. Finis, institutum, interna eorum coordinatio honorem tibi pariunt. Sed prohi dolor! ipsa in radice jam vermibus hæret, quo rodente arborem serius, aut citius sicari necesse est. Bina pro toto Hungariæ Regno constituta sunt a te Seminaria, utrobique quingenti prope alumni aluntur. Quis est ille moderator, qui tantæ juventuti, prout convenit, invigilare possit? an non periculum est, ut in tanto Alumnorum, in quibus juvenilis adhuc sanguis bullit, numero una reperiat scabiosa ovis, quæ totum gregem inficiat? quis satis præcavere potest, ne in conclave, ubi disciplinæ traduntur, Magister, id est



est lupus sub pelle aguina irrepit, qui novellos novarum sententiarum plerumque amantes discipulos perverfis suis principiis in transversum agat? — Non sunt hi, crede mihi, inanes metus. Adfunt jam (utinam vero non adessent!) tristitia exempla. Experiuntur id jam Episcopi Hungariæ, dum reduces ad se Alumnos penitius examinant.


J. Quid ergo agere me oportuisset?

M. Ther. Episcopi, Fili mi, sunt Patres, Clerus Filii. Filios educare ad Patrem pertinet. Id natura, id leges, id vetusta consuetudo, id ratio dicitur. Quisquis contrarium facit, is naturalem ordinem invertit, leges violat, a vestigiis Majorum recedit, rationi repugnat.

J. Quot homines, tot sententiæ, verissimum est adagium. Quisque Episcoporum aliis principiis, alia doctrina imbutus est. Unus educationem juventutis (quæ summam certe Reipublicæ exposcit curam) cordi sibi sumit, alter negligentius tractat. Ille Romani Curie principiis mordicus inhæret, ille limites suæ potestatis magis noscit.

noscit. Verbo: si res ita, quemadmodum tuo sub imperio constituta fuit, porro mansisset, nunquam uniformitas doctrinæ in Clero, nunquam æquabilis juventutis Ecclesiasticæ educatio speranda fuisset.

M. Ther. Et Parentes educationem suarum prolium negligentius sæpe tractant, & Genitorum varia sunt in educanda sobole ingenia: nunquam tamen lex politica eousque progressa est, solos si Spartanos demas, ut eos illo jure, quod natura ipsa inde ab exordio Humani generis consecravit, spoliaret. Ideo Principes, ideo leges, & Magistratus sunt, ut educationi juventutis invigilent, impedimenta removeant, fixam firmamque regulam, quam Parentes sequi oporteat, præscribant, vitia emendent, abusus removeant. Tuum igitur fuisset, posteaquam defectus, in educanda Juventute Ecclesiastica subversantes, uti indubium est, observasti, eas ipsas leges, quibus Generalia Seminaria nunc reguntur, Episcopis præscribere; libros, qui in Theologia tradi debeant, eorum tamen consilio designare; Visitatores, qui, an quæ abs te



ordinata sunt, rite perficiantur, investigent, constituere: Primatem, caput Hierarchy Hungaricæ, ut officii sui partes expleat, hortari, monere, & urgere, (quamquam moderno Ecclesiæ Hungaricæ supremo Antistiti, Viro Religiosissimo, ac unice in salutem Populi defixo stimulus addere opus non fuit) denique Regia tua auctoritate, ne quid eorum, quæ constituta sunt, præmittatur, assiduo excubare. Ita ad eminentem eum scopum, quem tibi præfixisti, sine injuria Episcoporum, longe certius pervenisses, educatio Cleri sine coactione meliorem formam accepisset, tu autem quantis te curis & impensis liberasses?

J. His, quæ recenses incommodis, Presbyteriis a me institutis plene occurrere. Juvenis enim in Seminario per aliquot annos necessariis imbutus scientiis, & ad gerendam aliquando curam animarum rite formatus ad Diæcesim redit, Presbyterium ingreditur, sub oculis, & disciplina sui Episcopi per integrum annum vivit, ab eo penitus nosci, corrigi, aut si correctioni locum haud esse videat, dimitti potest.

M. Ther.

M. Ther. O quam grave est, arbutum, quæ prima statim ætate incurvata est, cum profundiores semel radices egerit, rectam reddere! Pone Alumnus perverſis semel corruptum ſententiis, aut pravis imbutum moribus e Seminario egredi; jam tum Episcopus in eo ad saniora reducendo operam quidem & oleum perdidit. Sed hæc ſuapte clara ſunt. Potes tamen & ex his ſatis cognoscere, cauſam dimiſſi Cleri hinc quoque repetendam eſſe. Ipsi enim Juvenes ſe ſe ab Episcopis ſuis divelli ægre ferunt, & a Generalibus Seminariis ſane quam abhorrent. — Quo accedit, ſpem ad aliquem honoris gradum aliquando eluctandi iis a te penitus fere præciſam eſſe.

J. Qui obſecro?

M. Ther. Imminuto in Capitulis Canonorum numero, collegiatis Eccleſiis ſublatis, plerisque beneficiis ad Fiſcum pertractis, extraneis ad dignitates Eccleſiaſticas promotis, quæ amabo Curioni quibuſcunque dotibus prædito, quomodocunque de Eccleſia, & de Republica benemerito ſpes eſſe



potest reliqua, ut eminentiorem honoris gradum unquam assequatur? Ita enim plerique omnes mortalium a natura comparati sunt, ut in quocunque tandem consistant statu, altius tamen evadendi eos cupiditas nunquam relinquat. Hanc si illis spem ademeris, nec militem generosum, nec solertem ministrum, nec fidelem Judicem, nec Ecclesiasticum talem, qualis esse deberet habebis. At quoniam jam huc devenimus ultimam etiam, eamque gravissimam de crescentis Cleri causam accipe. *Juventus Scholastica* — — —


J. Si ullo unquam tempore, nunc certe in Hungaria bellissime florent studia

M. Ther. Sunt, fateor, quædam tibi in re litteraria instituta, quæ & tibi, & illi, cui ordinandorum regendorumque in cunctis tuis provinciis studiorum provinciam detulisti, gloriam haud levem pepererunt. Non desunt tamen & vitia, quæ huic ipsi gloriæ labem aspergunt.

J. Dic quæso, Genitrix amata.

M. Ther. Scholarum Nationalium & Normalium institutionem utilem, imo necessa-

cessariam fuisse non diffiteor. Decet enim Principem, dum pro Magnatum, Nobilium, aliorumque Potentiorum filiis Academias & Gymnasia constituit, minimæ etiam classis Civium filiis de educatione providere. Si quod in his ludis vitium adhuc est, id tempus, tum providentia tui Successoris, ac denique Virorum, in omni genere scientiarum versatorum, quibus nunc Regnum Hungariæ abundat, consilia corrigere poterunt. At illa tua coordinatio mutationem præprimis subire debet, quæ juventuti Hungariæ etiam oppidanæ & Pagenfi germanico idiomate cuncta proponi, explanarique præcepisti. Quid hoc rei est? puero lingua, quam ignorat, præcepta tradere, est furdo fabulam canere. Scio quo collimaveris; sed enim, ut alias jam dixi, Nationi peregrinam obtrudere linguam, ita quemadmodum peregrinas vestes, & mores peregrinos, violentia est, ipsi etiam statui publico perniciofa. Quapropter sæpenumero apud animum meum vesana eorum consilia damno, qui me juvenem adhuc, nec in magna regnandi arte adhuc satis versam




tam perſuaſerunt, ut conſiniarium in Croa-
tia & Sclavonia militem a gentilitio ſuo
amiſtu avocarem, miſtaces novacula ſubji-
cerem, patrio ſermoni (ſubſtituto, & quaſi
vi obtruſo Germanico) pretium adimerem,
ipſosque eorum mores, & conſuetudines,
Præſectis militaribus ex omni quaſi Europæ
natione illic conſtitutis, transformarem.
Inde enim ab eo tempore, ut tute ipſe
obſervavi, virtus illa militaris, & innata
Genti alacritas, ac fortitudo ſenſim elan-
gveſcere cepit, nonniſi veteri amiſtu, lin-
gva, moribus, & nativis militiæ Præſectis
reſtitutis ad priſtinum vigorem reditura.
Hoc exemplo, Fili mi, diſcere debebas,
quantum Reipublicæ interſit, quamvis Gen-
tem, præſertim ita bellicoſam, uti Hunga-
rica eſt, penes antiquas ſuas conſuetudines,
inſtituta, moresque relinquere, ac in eo
ſolum Regias curas ponere, ut, quod in
his forte vitioſum eſt, ſenſim, placidisque
modis, non repente, nec vi adhibita cori-
gatur. Ita ſentiebant Illuſtres tui Anteceſ-
ſores, ſed præſertim Divus noſter Stepha-
nus, Columen olim Regni Hungariæ, nunc
illu-



Illustre cætus Nostri fidus. (a) Sed jam ad Academias & Gymnasia, quæ post universalem eruditæ illius Societatis, cujus memoriam hodiedum grata recolit Hungaria, expulsionem meo studio & labore, utilique Virorum inter Hungaros eruditionis laude florentium cooperatione nova forma constabilita; per te autem ita, prout cetera omnia fere ex toto transmutata, paulisper digrediamur. Brevitas temporis non admittit, novam tuam studiorum coordinationem, quæ forte non minus, ac reliqua tua instituta, aliqua saltem in parte emendari debent, examinare. Cura hæc Fratrem & Successorem tuum, Filium vero mihi dilectissimum Leopoldum jam dehinc manebit. Id tamen dissimulare non possum, quin dicam, teneræ Juventuti scientias instillare, & mores negligere, perinde esse, ac totum destruere.

J. Mo-

(a) *Regale ornamentum, scito, esse maximum, sequi Antecessores Reges, & honestos imitari Parentes. Qui enim Antecessorum decreta Patrum spernit — — peribit. Monitu Divi Stephani ad Emericum Filium Dec. I. C. 8.*



J. Mores? quid hæc verba sibi volunt?

M. Ther. Nescio, quo tu inductus principio, putabas severam illam disciplinam, qua antehac Juventus Scholastica coarctabatur, laxandam, eique nobilem quamdam libertatem concedendam esse. O fatalem indulgentiam! Juventuti ad malum ex natura magis, quam ad bonum pronæ, apertæ sunt jussu tuo ad theatra, ad domus saltatorias, ad ludicra quæque spectacula fore. Nemo ut Templum adeat, certisque diebus Sacra exomologei peccata sua expiet, jam cogi debuit. Magistrorum, quorum antehac muneris fuit, non studiis modo, sed moribus etiam discipulorum invigilare, ligatæ jam manus, restricta est potestas. Quid factum? universa paulo post stupuit Hungaria innocuos antea Juvenculos, data sibi hoc modo libertate abusos, ad meretrices palam adire, sceleribus quibusque se coinquinare, Sacros Fidei Christianæ ritus contemnere, Viros Religiosos palam explodere. Ita mores labefactati, pudicitia profligata, studia neglecta, turpissimi morbi contracti, ipsa autem puerorum corpora
jam

jam in tenella hac ætate languida, exsucca, emarcidaque reddita sunt. Quid jam infelix Respublica sibi ex corrupta hac juventute spei facere? quid infortunati Parentes, quid status Ecclesiasticus, quid Magistratus, quid Militia, quid Tribunalia, quid ceteræ Civium classes, ab hac usque adeo degenerare adolescentia sibi promittere poterunt? quodque acerbissimum est, infanda hæc pestis, ipsos etiam Magnatum, & Nobilium Filios tua culpa (non! nolo hanc in te labem conjicere) tua potius inadvertentia corripuit.

J. Mea inadvertentia?

M. Ther. Ita enimvero; si enim Convictus Nobilium, quos ita belle ordinatos post fata mea reperisti, inconvulsos reliquisses, tuta adhuc foret Juvenum innocentia. Sed enim gloriosum tibi videbatur, quidquid Mater tua ædificavit, funditus evertere. Quidquid plantavit, eradicare, quidquid servavit, dissipare. Hic quoque aurei illius moniti, quod S. Rex Stephanus Filio suo dedit, meminisse debuisses. (a)

J. Ad

J. Ah Mater, chara Mater! quæ tu mihi hodie objicis?

M. Ther. Amplius dicam. Dic mihi, quid te impulit, ut studiosæ Juventuti grave illud pensum pecuniarium, sub didactri nomine imponeres? Hoc modo Nobilem, Civem, & rusticum, cui paulo angustior domi res est, ab aditu Scholarum removisti. Jam satis misero Patri victum, & habitationem pro Filio conducere arduum fuit; unde, quæso ei media, ut Didactrum insuper dependat? Inde evenit, ut tot tantique Juvenes, qui in spes aliquando Reipublicæ adolescere poterant, nunc otiosi domi delitescant Patriæ inutiles, Parentibus oneri futuri. Inde fit, ut jam vacua pene ubique visantur, Gymnasia, pluraque in his sæpe scæmia, quam Discipuli numerentur. Hæc denique una e præcipuis causis est, cur Cleri numerum ab aliquot annis adeo defecisse Episcopi lamentabantur,

Hun-

-
- (a) Si tu destruere, quod ego ædificavi, aut dissipare, quod congregavi studueris, sine dubio, maximum detrimentum tuum patietur Regnum.
Dec. I. L. 6.



Hungaria univerſa reſenſit. Sed initia hæc ſunt ſolum. Jam brevi & curiis Miniſtri, & Tribunalibus Judices, & Foris Advocati, & manus Reipublicæ, & Cives Patriæ de-erunt. O Tempora! o mores! nequeo jam ultra loqui. Cum enim cogito qualis Hungaria, percara illa mihi Hungaria, meo ſub imperio fuerit, qualis ſub tuo, lacrimarer, ſi lacrimis ad Beatam hanc Regionem aditus pateret. Itaque vale.

J. Heu me! quam vera ſunt, quæ hodie mihi bona mea Mater oggeſſit. Ah Principes, quique in orbe regnatis, huc adeſte. Hic, hic veram regnandi artem diſcetis. Hic cognoſcetis, quam infelix ſit ille Princeps, qui ſuo unice ingenio fidit, putatque, ſuo ſe arbitrio totam orbis machinam commovere poſſe.



COLLOQUIUM IV.

Josephus, Maria Theresia.

M. Ther. **I**mminet jam dies, qua in conspectum Illustris Regum Hungariæ Senatus te sistere debebis. Cuncta hic tua facta ea cum æquitate, quæ a Tribunali, nullis amplius humanæ imbecillitatis nævis obnoxio, exspectari potest, in trutinam vocabuntur. Beneficia, quæ Populo tuo præstitisti, cum maleficiis, quibus forte a te affectus est, librabuntur; ipse etiam animus, quo quidvis actum, mandatumque fuit, æqua lance pensabitur. Tum tandem, quem locum in beatis his campis occupare merearis, immutabili sententia definietur.

J. O quam magni hujus Tribunalis judicium vereor. Etsi enim animo meo plene tutus sim, me nihil, præter unam Populorum meorum felicitatem, in vobis



unquam habuisse, tamen non levis me incessit sollicitudo, ne vel id, quod seu imbecillitate ingenii, a qua quis Regum liber est? seu pravis Aulicorum meorum consiliis peccatum est, crimini detur.

M. Ther. Noli, Fili mi, animo turbari. Judices, qui causam tuam diriment, fuerunt olim, ut tu, homines, qui se quoque, uti humanum est errare, lapsos aliquando esse, probe norunt. Itaque, si modo Populi tui manifestus oppressor, si Tyrannus, si denique Nero, aut Caligula non fuisti, clementiæ potius spe animum erigere, quam severitatis metu percelli debes.

J. Felicem me Genitrix mea! nec oppressor, nec Tyrannus, nec Nero, aut Caligula fui.

M. Ther. Nimium præceps de te, Fili, iudicium edis. Examina paulisper animum tuum. Superi velint, ut talis, qualem te reputas, reperiaris.

J. Non dubito profecto. Mens recti conscia me absolvit.

M. Ther. Attamen multa ego in vita tua comperio, quæ Populos tibi subjectos,



præsertim Hungaros in eam deduxerunt opinionem, quali tua potestas in despotismum, ac Tyrannidem vergeret, jamque ipsæ Civium fortunæ, ipsa vita, libertas quidem certe in periculo versarentur.

J. Inanis metus, iniqua suscipio.

M. Ther. Jam primum illud, quod Hungarorum animos mille implevit suspicionibus, fuit universalis illa brachio militari peracta conscriptio. Insolitum hoc ac huc in Hungaria fuit spectaculum. Conscriptiones namque non militari, sed legitimorum Magistratuum manu perficere mos fuit.

J. Ego mox sub exordium Regni graves illas, quas tu, tuique antecessores in legendis pro militia tyronibus etiam in Hungaria experti sunt, difficultates etiam atque etiam animo expendi. Itaque magnum illius Friderici institutum, quod jam tu Mater, me suadente, olim adoptasti, ad Hungariam etiam extendere decrevi. Cur enim re bona Hungaros diutius carere permisissetem?

M. Ther.

M. Ther. Rem bonam dicis, quæ legibus Hungariæ, & vetustæ Regni consuetudini usque adeo repugnat? Conscriptio Regni in se utilis est; interest enim boni Principis numerum, classesque hominum, & quod quisque vitæ Genus sequatur, nosse. Ita enim, quæ adhuc Populatio necessaria sit, qua parte industria, & agricultura adhuc jaceat, quale quantumque commercium institui possit; porro, si fames aliquando invalescat, quæ frugum vis, ad alendum Populum suffectura sit, ducto politico calculo quovis tempore perspicere potest. — Sed conscriptionem in Hungaria eum in finem ordinare, ut, quinam armis ferendis apti sint Cives, id in militarem referatur Syllabum, tum autem idoneos, & jam Catalogo militari illatos, uti in Austria fit, pro arbitrio levare, id quidem Regni juribus, & libertatibus Civium adversatur. Tyronum etenim statutio Statibus cujuslibet Comitatus, eorumque arbitrio, & delectui, vi Legum, relicta est. Et merito id quidem. His enim optime cognitum est, quem militiæ dari, quem vi-



cissim in sessione sua relinqui oporteat. — Quapropter nihil abs me unquam ea in re vi actum est; & tamen in tot tantisque præliis nunquam mihi meorum Hungarorum promptitudo, nunquam tyro defuit. Imo vero sæpe plus, quam a me vel desiderari potuit, ab iis præstitum fuisse, grata recolo memoria. — Mirari igitur non debes, tanta ab Hungaris conscriptioni huic obstacula undique posita, tanta Ordinum lamenta audita, tantas Subditorum obmurmurationes subsequutas, tantum in militum Præfectos odium ubique excitatum, tantam in ipsos etiam domorum numeros, institutum alias innocens, & diversis e causis utile, indignationem obortam fuisse. Magis adhuc indignatio crevit, dum Magnates & Nobiles suis etiam Arcibus, Castellis, & Curiis, liberis utique, numeros appingi viderunt. Neque enim aliud vulgo creditum est, quam ex ipso etiam Nobilium catu militem te extrahere propositum habere.

J. Nunc veram tantorum lamentorum, quæ nulla justa niti suspicione existimabam, originem assequor. Itaque pœnitet me,
Re-


Regios abs me Commissarios in quosdam Comitatus eam ob causam delegatos, magis adhuc, milite in ipsos Comitatum confellus immisso, minas etiam tam egregiæ Nationi intentatas fuisse.

M. Ther. Gravior is lapsus fuit, quod Regiam auctoritatem eousque protenderis, ut præstantissimum unius Comitatus Moderatorem propterea, quod conscriptionem jûribus Regni derogare digna Nobili Hungaro cum libertate declaraverit, neque reluctantes Status, sua ut tu volebas, Auctoritate compescuerit, (uti nec potuit, nec Legum suffultus præsidio debuit) dignitate exuere non dubitaveris. (a)

J. Moderator, quem indigitas, suo jam Comitatu cum honore restitutus est.

M. Ther. Id justitiæ ratio poposcit. Sed non ille solus fuit, qui propter jura Patriæ, omni licet, quæ Principi debetur, cum veneratione, defensa, gravem tuam sensit manum. Recordare, quid paucis ante

(a) Comes Nicolaus Forgács de Ghymes, Comitatus Nitriensis supremus Comes.



mortem tuam mensibus in Comitatu Pofonienfi, (b) quid aliis nonnullis in Comitatus, imo Tribunalibus etiam factum fit, & mirari defines, fomitem diffidentiae inter te, Regnique Optimates ubique fere accensum esse. Enimvero, si usquam, in publicis certe Conventibus, libera oportet esse vota: imo ne minimum quidem Civem, hac sibi a natura concessa libertate uti volentem, in libera praesertim Gente, propterea injuria afficere licet. — At plura adhuc, multoque majora sunt, quae Hungarorum animos a te majorem in modum alienarunt.

J. Cum jam huc deducta res sit, id quoque ex te, Mater, audire aveo.

M. Ther. Quem tu in finem, dic
quæ-

(b) Comes Franciscus Eszterházy de Galantha, magni illius sub M. Theresia Cancellarii Filius, in congregatione Comitatus Pofonienfis, cum de subsidiis bellicis ageretur, quaedam pro defensione jurium Nationis liberius proloquutus, dignitate Consiliarii aulici, quam in Cancellaria Regia Hungarica gessit, exutus, sed jam cum honore restitutus.

quæso, Politicæ Commissarios in nobilioribus
Regni Hungariæ Civitatibus — — —


J. Securitatis publicæ ratio, tum re-
ctus ordo hanc a me dispositionem postula-
bant. Et Roma suos Censores, & Græcia
suos habuit Areopagitas.

M. Ther. Politiam in quolibet Regno,
in quavis Regni Provincia, & Civitate ne-
cessariam esse quis ambigit? sine hoc Ma-
gistratu cuncta perverti, famam & fortunas
Civium, ipsamque adeo vitam periclitari
oporteret. Sed constitutio Hungariæ, Le-
gesque, qui præterquam Magistratibus quo-
libet in Comitatu, quavis in Civitate con-
stitutis, præcipuam hanc civilis auctoritatis,
partem detulerunt? quid opus erat his præ-
teritis Provinciam adeo delicatam distinctis,
peregre etiam accitis, Præfectis concrede-
re? justane fuit causa, insolito hoc institu-
to jurisdictiones committere, Magistratus
confundere, & odia inter Cives Seminare?
sed novi ego, nec Hungari ignorarunt, quis
innovationum harum verus fuerit scopus?

J. Equidem non alter, quam, quem
jam designavi.


H.

M. Ther.



M. Ther. Facile id tibi concedo. Indignum enim foret Principe, si actiones, legum ordini adversas, publicæ utilitatis larva obtegeret. Sed Hungari, qui intima cordis tui perspicere non poterant, longe aliam in partem factum hoc tuum acceperunt. Nec mirere. Notum nempe illis erat, te novum quoddam, idque nulli non Civium terribile supremæ Politicæ Dicasterium, a quo cuncti Provinciarum Austriacarum Politicæ Commissarii dependeant, in Metropoli tua creasse. Nec domus illa Politicæ, alterum Viennensis urbis *Bastille*, eos latebat, quo Cives, nullius sæpe criminis sibi conscii, ex sola quandoque suspicione, aut infami erronis cujuscunque delatione e plateis, e domibus suis, ex ipsis adeo lectis abducti, concludi, & secreto examini, judicioque nulli cognito subjici solebant. Profunda triste hoc Tribunal obnubilabat caligo: Judicum acta plusquam cimeriis tegebantur tenebris: delicti species, captivationis causa, fors captorum mysterium fuit; & postea etiam, quam infelices victimæ post plures quandoque menses, & an-

nos inde redivere, mysterium manfit. Denique, dum jam Munkacsinum, jam montem Pannoniæ, sacrum illud quondam Virorum religioforum aſylum, pro ſtatuſ carceribus adaptari juſſiſti, quid ſibi, ſuiſque Poſteris paretur, non obſcure viderunt. Cuncta hæc non ſine horrore audiendo, ac oculis ſuis ſpectando, quem in ſinem tui illi novi Commiſſarii in Regno adſint, quæ ab te, aut Vienneniſi illo tuo collegio ſecreta habeant mandata, quæ vera eorum ſit deſtinatio, cogitare ceperunt. E cogitationibus ſubinde ſuſpicio, e ſuſpicionem perſuaſio, e perſuaſione metus & conſternatio, uti aliud ex alio gigni ſolet, orta eſt. Itaque nemo vel liberius verbum proloqui ſibi fidebat. Amicus amico, contribulis, contribuli, Frater Fratri ſuſpectus fuit. Quocunq; Commiſſarius tuus pedem intulit, profundum illico ſilentium familiarum ante ſermonem obtexit: quiſcunq; in domo Commiſſarii viſus, jam tanquam hoſtis libertatiſ publicæ, tanquam inſidiator civiliſ Societatiſ habitus. Quid multa? pax & tranquillitas e mentibus Civium reſceſſit.



J. Proh invitam Principi suspensionem!

M. Ther. Auxit communem Populi metum ingens delatorum turba, cui liber semper ad te patebat accessus. Imo promissis, & large etiam distributis præmiis huic Civilis societatis pesti, quo audentior fieret, animi a te inditi. Hinc solis fere abominandarum delationum investigationibus Magistratus onerati. Præstantissimi quique Cives in suspensionem criminum nunquam commissorum vocati sunt. Et si subinde miseri hi Cives labem sibi injuste impactam, demonstrata innocentia, deterferunt etiam, quis tamen iis honorem graviter læsum, sumtusque causatos resarcivit? quam pœnam iniquus delator subiit? — Ah Fili! in Domitianum hæc potius (parce Fili nomen, quod dolor expressit) quam in Josephum domus meæ, cujus præcipuum semper symbolum clementia fuit, furculum vadere debebant. — Et vero, si naturam hominum expendamus, nimius ille tuus rigor, qui limites quandoque justitiæ excedere visus est, quem non percellit?

J.

J. Ignosce Mater, si, quæ silentio premere fatius putabam, nunc, quia prococas libere proloquutus fuero. Intra 40. annos, quibus amplissima Domus nostræ Regna & provincias gubernasti, nonnisi bonitas, & clementia in solio tuo regnare videbantur. Sed bonitas, & clementia hæc apud multos licentiam & spem impunitatis generavit. Fraus, dolus manerum acceptatio, proditio justitiæ, peculatus, adulteratio publicorum scriptorum, & multa alia scelera in venerabile judiciorum publicorum conclave, intra sacrosanctos Ministrorum cancellos, in ipsum adeo sacrorum virorum chorum lento pede irrepserunt, crimina tanto periculosiora, quanto sub larva sanctitatis, aut justitiæ, publicæque potestatis pallio tutius latuere. Quid ego facere poteram, aut debebam, posteaquam cuncta hæc monstra, mox sub exordium mei regiminis e tenebris in lucem protracta fuerunt?

M. Ther. Lenitas & clementia fideles mihi, & inseparabiles, quoad vixi, semper fuerunt comites. Id fateor; neque
pœni-



pœnitet. Hæc præcipua Regum Austriacorum quovis tempore virtus fuit: abs me insuper sexus meus, & indoles a Benignissimo Patre meo, tuo vero Avo, in me derivata eam requirebant. Si aliqui his abusi sunt, bonum non ideo malum, quia abusus fit, sicut malum non ideo bonum, si nemini noceat, est. — Quod tu crimina in lucem protracta vindicaveris, fecisti, quod muneris tui fuit; sed quod vindicta limites humanitatis excefferit, id vero non Principis, sed Tyranni fuit. Parce Fili mi huic expressioni: id enim solum repeto, quod tibi Viennæ publico in scripto objectum fuisse memini.


J. Ah Mater! hostis ille meus fuit, qui indigno hoc me nomine. —

M. Ther. Credo Fili mi, & ipsa etiam temerario illi scriptori, quisquis est, indignor. Sed tamen id mihi concedes, pœnas, quas tu in infelices aliquot Ministros statuisti, ipsi humanitati horridas fuisse. Quis enim non cohorrui, dum hinc Confiliarium, qui in splendido suo officio incauit, inde amænissimæ formæ juvenem, ex illu-



illustri prognatum prosapia, & cum summis quibusque familiis arcto sanguinis, affinitatisque nexu junctum, alia rursus ex parte Judicem eminentioris cujuspian Tribunalis, aut Secretarium, vel Concipistam cum sceleratissima furum, prædonum, & sacrilegorum turba concatenatos, horrido sacco indutos, raso capite, tremula manu, frequentissimas urbis Viennensis plateas verrentes atpexit? cujus, si vel aliquo humanitatis sensu tangebatur, viscera commota non sunt, cum Virum nativitate, militari gradu, & mea non minus olim Gratia, quam communi Urbis Regiæ æstimatione conspicuum in infami expositum pegmate vidit? — Ah Fili! talibus Viris, cujuscunque demum criminis convictis, sufficiens utique pæna Kufstainium, aut Bruna (a) esse poterat; puniti fuissent suo merito; sed enim Familiis, Collegiis, illustribus denique; quas gesserunt,

(a) Duæ arces, ubi plerumque status captivi detineri solent. Prior in Tyroli in editissima rupe, posterior, uti notum est, in Moravia jacet. Id quod Hungarum solum causa isthic monuisse oportuit.



runt, Dignitatibus tantum, tamque grave dedecus illatum non fuisset.

J. Non ego eos condemnavi, sed iudicium.

M. Ther. Si Regiæ tuæ Auctoritati, pœnas a iudicibus dictatas proprio tuo essato exasperare, haud esse inconveniens putasti; an si exasperatas a Iudicio mitigalles, ei quidquam decessurum fuisset? — Ut Reges vitæ gratiam reis concedant, ut pœnarum rigorem emolliant, quotidiana sunt exempla; sed ut reo, quem iudicium absolvit, aut temporaneæ subiecit pœnæ, vitam adimant, aut mitiorem pœnam cum asperiore commutent; hoc vero, nisi barbaras inter Gentes, inauditum hæctenus fuit. *Time esse Judex, gaude vero Rex esse, & nominari. Reges patientes regnant, impatientes vero tyrannizant.* (b) Aureum S. Stephani monitum fuit, quod te semper ante oculos habere oportuisset. — Quid mirum proinde, si boni mei Hungari, tristes has urbis Viennensis tragædias non femel

(b) Decretor. L. I. C. 5.

mel audientes, perculsi sunt, & a Rege, quem tam duri esse cordis itentidem audiebant, alieno esse animo ceperint. Sed omittamus hæc, quæ ipsam adeo naturam horrore percellunt, & ulterius progrediamur. Vidisti ex his, quæ in medium attuli, non defuisse Hungaris multiplicem lamentandi causam, dum libertates, honorem, vitamque ipsam in discrimen vocari senserunt. Sed tu amplius fecisti; bona etiam & facultates, adeoque proprietatem, quæ cuius Principum sancta esse debet, aggredi non dubitasti.

J. Nimium hoc est.

M. Ther. Edic quaeso, quem scopum famosa illa tua dimentio habuit?

J. Justam, Deoque placentem proportionem. Omnis tributorum hæctenus in Europa desummi solitorum forma iniquitas fuit. Non fundi reditus, id est divitiæ, sed ipse fundus, omnium divitiarum unicus fons, tributis gravari debet. Hoc me docuit Divinum illud Phyllocraticum systema, quod nullus ante me Regum adoptare ausus est; hoc mihi vir doctus, & cui non
notus



notus in Israel? consilium fuggeffit. Id unum mihi dolet, me felicem illam epocham attingere non potuisse, qua fideles mei subditi, de beneficii hujus paterno tibi animo præstiti magnitudine, suaque incredibile utilitate convicti, malevolorum ora obturassent.

M. Ther. Nunquam, Fili, si vel pyllos aliquando annos attigisses, id tibi solatii obtigisset. Proportionem quæxivisti, non invenisti. Agricoliarum aliquam partem beasti, sed majorem ad incitas redegitisti: Fundorum autem Dominos penitus obtrivisti. Atque hæc quidem in germanicis tuis provinciis, quæ jam lamentis subditorum, & Dominorum undique personant. Quam autem justa fuerint lamenta, vel ex uno *Hesselio*, cujus calamum cunctorum Civium consensus rexit, cujus ore summi infimique loquebantur, sat superque discere potuisti. Si id non suffecit, gravis illa, & totius Populi Vindobonensis cum applausu lecta Ministri unius, qui eam ob causam illustri suo se abdicavit munere, demonstratio errorem, in quo versabaris, tibi eximere debebat.

bebat. — Sed in Hungaria vastum hoc dimensionis opus, univèrsà plaudente Natione adhæsit, ac perpetuis jam conditum est latèbris, memoria tamen illius post secula etiam manebit.

J. Nonne?

M. Ther. Manebit sane, sed tristis. Dimensio hæc, inde ab aliquot annis perdurans, toties mutata, & toties resecta, millionibus consistit, non tuis, sed afflictæ Nobilitatis, & miserimorum subditorum. Quis hanc iis immensam plane æris summam refundet? quis innumera fatigias, curas, & labores refarciet? quis insultus Dominis terrestribus, injurias miseræ plebi illatas compensabit? — Nullus. Id unicum afflictis Hungaris mansit solacium, quod ignis in vicini tecto ardens ad se necdum penetraverit, imo iam serpere incipiens ipso in limine extinctus fuerit.

J. Frater meus, spero, opus, quod imperfectum mansit, resummet, & perficiet.

M. Ther. Ne crede. Aliis, longe aliis Is principiis imbutus est. Id in Duca-

tu suo, quem tot per annos sapientissimè
 rexit, jam satis palam ostendit. Nunquam
 Is se amplius novatorum promissis seduci
 sinet; nec in magno suscipiet, quod in
 parvo antea comprobatum non fuerit. —
 Interim, ut ad priora redeam, vides fili,
 quantum novis his tuis institutis Hungariæ
 summa alioquin rerum penuria jam ab ali-
 quot annis laboranti, nervi eripueris. Sed
 quid si multa alia in censum vocem? Con-
 tributio sub vano *deperditarum* nomine
 medio milione accrevit: cassæ domesticæ
 sumtus alterum tantum accumulati: salis
 pretium in singulis centenariis 1. floreno,
 cruciferis quadraginta (quod augmentum
 duos & ultra millones efficit) auctum: ju-
 stitiæ administratio insolitis taxis aggravata:
 leges usuram prohibentes sublata, itaque
 mutui absque enormi sacrificio obtinendi
 spes præcise: limitatio rerum, ad vitam
 summe necessariarum abrogata, commer-
 cium, nervo deficiente, tam maritimum,
 quam domesticum destructum: res pecua-
 ria, & agraria eandem ob causam immi-
 nuta: omnia denique hæc sine Comitibus,
 sine

sine consensu Populi, tuo unice arbitrio facta sunt. Et quid si bellum Turcicum, quod bonis meis vicinis in gratiam Catharinæ indixisti, commemoravero?

J. Bellum Turcicum, insigni Laudonii, & Coburgii virtute, ac prudentia gestum, hanc mihi, quam vertici meo innexam vides, lauream paravit. Id saltem inter tot imperii mei fluctus solatii e vita mea etuli, quod nomen meum, tuumque, Mater (quid enim Filio commune cum Matre non sit) æternitati transcriptum sit, *semper hænos, nomenque meum.* — — —

M. Ther. O Fili! cum de fatali hoc bello cogito, unde incipiam, aut ubi finiam, nescio. Bellum inchoasti non læsus: arma strinxisti contra amicos, non hostes: sanguinem humanum fudisti sine causa: thesauros expendisti incerto cum eventu. Vis amplius? Belgium perdidisti; Angliam, Prussiam, Svecos, Hollandos, & Polonos contra te armasti: Hungariam concitasti; equestrem Ordinem irritasti: subditos ad incitas redeigisti: tibi denique præcensem



mortem accersisti. Et hi sunt fructus belli? hæ illæ tuæ victoriæ? hæc tua laurea?


J. Mater, quid reponam, ignoro. Fœdus cum Catharina inivi, fœderi satisfacere debui. Hostis, qui amicum meum lædit, & me lædit. — Militiam non ensis, sed febris perdidit. — Quodsi eventus belli dubius, at semper mihi gloriosus: uberrima namque messis est, ubi gloria meritur. — Ad Belgas quod attinet, infidam hanc Gentem, quæ belli turcici occasionem ita perfide in sua commoda vertit, Frater meus castigabit. — At quæ de Hungaris commemoras, non allequor.

M. Ther. Vis ergo, ut clarius loquar? Præternitto id, an sine consensu Populi, qui onera fert, militem & nervum præstat, bellum inferre Regibus fas sit? Illud unum quæro, cur tu, si jam belli aleam subire decretum fuit, meis inhærare vestigiis renuisti? gravissima ego, ut scis, sustinui bella; nunquam tamen fida Hungarorum Gens vel Tyrones mihi negavit, vel subsidia. Quid? plus quam vel sperare, aut cogitare potuissem, grato semper
ani-

animo præstitit. Cur? nempe magni illius Corvini, antecessoris nostri, exemplum sequuta, non vim, sed preces adhibui. Scivi generosum hunc, & unice honoris, & gloriæ studio ardentem Populum nullis extra Comitæ oneribus, inter quæ primo loco tributa, subsidiaque, seu pecuniaria, sive annonaria illa sint, tum statutio Tyronum censentur, subjici posse, nec se subjici passurum esse. Scivi Comitibus expressa lege, & quidem sub comminatione perpetuæ infamiæ cautum esse, ne ulla unquam onera absque consensu totius Nationis, atque adeo extra solitum Comitiorum locum, in se assumant. (a) At spontaneam cujuscunque

I 3 que

(a) Si quipiam Comitatum motu proprio, & non de consensu, & voluntate totius Regni, extra scilicet conventiones Regnicolarum generales, contributionem aliquam, seu quodcumque subsidium — — — contra videlicet antiquam Regni libertatem, Regiæ Majestati quovis modo, & quovis colore exquisito offerent, aut præstarent; ex tunc universitas Nobilitium hujusmodi Comitatus universaliter in panis fidefragii, seu perjurii, amissionæque honoris & humanitatis convicta & condemnata, & a consortio ceterorum Nobilium Regni relegata, & segregata habeatur eo facto. Ulad. II. Decr. V. art. 1.



que liberalitatem nulla circumscriptam esse, nec circumscribi posse lege, id quoque mihi notum fuit. Sed quid tu?


J. Regem me esse memini. Supplementum igitur militum jure me possidere posse existimavi. Annonam autem, & veteras non prece, sed pretio — — —

M. Ther. Mirum enimvero, id parato ære emere, quod gratuito habere possis. Tu nempe in millionibus illis, quos spatio aliquot annorum e ruinis Monasteriorum, ex Foundationibus ad te pertractis; e pensionibus & salariis imminutis; denique ex summa illa, & in nulla totius Europæ aula adhuc vita parsimonia congregatis spem locasti, sed ubi jam milliones illi sunt? tu in subsidiis cæterarum Austriæ provinciarum, sub quorum duro onere jam jam fatiscunt, fiduciam posuisti, sed an hæc sufficient? — Satius, o vere satius fuisset, generosam Hungarorum oblationem initio statim belli factam ambabus acceptare manibus, quam, illa repudiata, ad Regii unice ararii, cujus defectus prævideri debebat, præsidium confugere. — Sed quid? credis-

ne pretium, quod Hungaris obtrulisti, rebus conveniens fuisse?

J. Quidni!

M. Ther. O vanam credulitatem! audi, Fili mi; vel pauca hæc, quæ dictura sum, errorem tibi instillatum eximent. Initium a vecturis faciam. Tu plebi rusticanae de singulis fani, & farinae centenariis; aut avenæ, hordeive metretis a quavis statione cruciferos duos promisisti. Nonne? — Hoc ergo pretio miser agricola, qui Soproniensem, aut alium magis forte remotum incolit agrum, Zagrabiam, Carlostadium, Siscium, Gradiscam, aut Dubiczam, vel Novium, arces in Turcia fitas: is contra, qui Bihariensem, aut aliam magis adhuc semotam inhabitat Provinciam, Petrovaradinum, Zemlinum, Pancsovam, aut ultra etiam Belgradum, emensum sibi annonæ pondus subvehere obstringebatur. Triginta igitur, aut quadraginta milliarium itinere confecto, quatuor aut quinque florenos, pro ratione nempe distantiae, abs te accepit. Hoc ne tu justum pretium esse autumas? an non infelix rusticus tanto iti-



neris intervallo, rigidissima etiam hyeme, aut via, nivibus, & pluviis prorsus labefactata, emenso duplo, & triple plus expendit; hoc præsertim tempore, quo pretia rerum omnium usque adeo creverunt? — Sed minima adhuc hæc sunt mala. Quis numerum equorum, boumque, qui in tam adverso, tamque longinquo itinere periverunt, inibit? miserabile sane fuit spectaculum, hic currum integris sæpe diebus, noctibusque in luto hærentem, ibi equum, aut bovem prostratum, aut jam extinctum; miserum autem colonum levatis ad Cælum manibus flentem, opemque implorantem videre. Non sunt hæc, Fili mi, exaggerata. Damna hæc, si quis calculum inire velit, milliones florenorum efficiunt. Et ubi est neglectus rei domesticæ? ubi intermissum araturæ, sementisque tempus? Ubi infinita alia mala inde sequuta?

J. Tam vivam miseræ imaginem nemo adhuc mihi descripsit.

M. Ther. Quid? amissis jam jumentis, num liber a vecturis fuit colonus? non certe. Quam ipse præstare non potuit, pre-



pretio conducere oportebat. At quali, quamve exorbitante pretio? — Ab unico fœni centenario, solius mercedis nomine, unius quandoque, & amplius florenus pendi debuit. Itaque unica vectura, curru vix decem centenariis fœni onusto, sexaginta, septuaginta, & ultra florenis, cum a te vix quinque soluti fuerint, stetit. Hinc Fili mi lacrimæ, hinc ejulatus! — At quid innumera alia onera, hoc infausti belli tempore miseræ plebi imposta enumerem? quot centena operariorum millia a Comitibus subministrata, quorum alii in extremis Regni finibus cuniculos fodere, alii munimenta erigere, alii pontes struere, alii ingentis molis aggeres in ipso adeo hostico, adeoque media inter belli pericula educere coacti sunt? quam ingens, ac intolerabile propemodum onus fuit, militem ultro citroque commeantem vehere, & revehere; ægrotos ad nosocomia deducere, belli impedimenta de loco ad locum promovere? omnia hæc ultimæ tantum, illique miserrimæ, & ideo deplorandæ hominum classi incubuerunt.


J. Cur Nobilitas — — —

M. Ther. Nobilitas quoque innumeris hoc belli tempore afflicta fuit calamitatibus. Quis annonam, fenum, avenam, hordeum, nisi illa, suppeditavit? At quomodo? — In hac summa rerum omnium penuria, ubi fecunda illa quondam Mater Hungaria vix se ipsam satis contra inediam tutari potuit, infinitam, ac viribus imparem annonæ vim sibi admensam experta est. Pretio utique, sed quai? quod nempe tu ipse, tuique annonæ Præfecti statuerunt, & nec illo parato, sed in chartis, in promissis, in spebus. Exhaustæ ita fuerunt Nobilium annonariæ domus, cumque, quod suppetierat, totum militiæ datum sit; ipsi, quo suæ, suorumque subditorum necessitati consulerent, fruges duplo altiori, eoque parato, ex ipsa adeo Austria, Styria, & Moravia comparare coacti sunt pretio. Multis eorum vacua ostendentibus horrea comminationes adhibitæ, violataque Nobilitatis prærogativa, militari etiam brachio vis illata fuit. Cumque Consilium tandem Regium, repetitis suis litteris ad te datis, ostendisset, tantum

in pluribus Comitibus frumenti nec suppetere, quantum abs te requirebatur; quid tu? dimidiam condonasti partem, sed parato ære, & eo etiam exaggerato supplendam. Quid hoc significat aliud, quam equestrem ordinem tributo, a quo vi legum semper immunis fuit, subicere? — Sed edic quæso, quis proportionem illam, ut universæ Provinciæ Germanicæ unam tantum, sola autem Hungaria duas onerum bellicorum partes ferat, eruit? — tu nempe ipse. Quis repartitionem, quantum quisque Nobilis præstare debeat, efformavit? tui scilicet Regii illi Commissarii; tu suprema, hi delegata, sed nihilo fere minori potestate. Fuitne id, salvis Hungariæ legibus, vel tibi, vel Commissariis tuis facere integrum? Cur status Regni in consilium non vocati? cur Comitia non indicta? cur de Hungaris sine Hungaris omnia acta?

J. Necessitas non habet legem. Exercitus sine annona, est corpus sine anima.

M. Ther. Necessitas! nonne par, imo major fuit necessitas, cum ego ærario meo penitus exhausto, vacuis undique annonariis,



riis, contra tot, tamque formidabiles pugnare hostes debui; & tamen, quæ Dei gratia est, cuncta suo ordine, sine vi, sine militari brachio, sine coactione, sine lamentis Hungarorum processerunt. Sed nempe longe aliam administrandæ annonæ rationem ego, meique ejus temporis Ministri inivimus.

J. Quam quæso?

M. Ther. Cum privatis quæstoribus, quibus hoc in se assumere onus placuit, solennes tractatus initi sunt. Eorum honor, facultates, vita ipsa, ne quando exercitus annona destitueretur, vadimonium mihi præstiterit. Denique præmiis, honoribus, cumulatis laudibus, Civium præsertim opulentiorum industria, in cunctis ditionum mearum partibus excitata, accensaque fuit. Ita factum, ut nunquam Reipublicæ Ministri (*admodiatores*) nunquam militiæ annona defuerit; sed nec Populum jústo magis premendi ulla unquam emerferit necessitas.

J. Novi ego hæc omnia; sed & id novi, quantis sumtibus administratio taliter constituta Reipublicæ steterit. *Ærarium* finitio

nito bello ad fundum usque exhaustum, imo immensis debitis, quorum partem ego ægre diminui, oneratum, cum privati impostores (quo enim alio nomine infamem hanc rapacium luporum turbam compellem?) ex humili sæpe forte ad summas eluctati fuerint divitias.

M. Ther. Moderatus mi Fili. Multi horum integra fide versati sunt, itaque iis hodie dum multis nominibus obstricta est Respublica. Quodsi aliqui, uti dubium non est, dolis, fraudibus, & rapinis ad eas, quibus nunc Filii, aut Nepotes eorum disfluunt, pervenerunt divitias, minus id malum fuit, quam si miseri subditi, imo integra Regna, ad eam, in quam modo præcipitata sunt, conjecta fuissent miseriarum abyssum. Quamquam vehementer dubito, an non novo tuo hoc instituto *Ærarium* longe deterius comparatum fuerit, quam ullo unquam Regiminis mei tempore.

J. Qui obsecro?

M. Ther. Fecisses tibi rationes exhiberi, vidisses tute ipse. Tuus quidem Successor, heu nimium deplorandus Successor

id



id gravi suo cum detrimento experietur. Neque aliter id fieri potuisse clarum est. Palam enim est, ea, quæ publice administrantur, plerumque perperam administrari. Privatus rei suæ die nocteque invigilat; Respublica satis invigilare non potest: ille ubique præsens esse conatur; hæc aliis se confidere debet: ille minimum damnum resentit; at iis, quibus publica rei cura commissa est, perinde est, damnum, an lucrum sequatur. Nemo est in Comitatus, præsertim belli teatro magis vicinis, quin id vel suismet spectaverit oculis, vel a Viris, omni fide dignis intellexerit. Innumeri illi minoris notæ Præfecti, Subpræfecti horumque substituti, quibus annonæ, vel percipiendæ, vel administrandæ provincia credita fuit, hoc tanti momenti negotium, quam leviter, quam negligenter tractarunt! communis certe opinio est, plus fæni pessime in acervos compositi putredine, quam ore jumentorum absumtum: plus farinæ pluviis, omnique aeris inclementia pessumdatum, quam in escam Militis conversum: plura denique annonæ depositoria tuo, Ducum-

cumque quorundam nutu, aut hostili manu
 combusta, quam in usum militiæ deducta
 fuisse. Accedunt huc aliæ & aliæ frequen-
 ter sibi adversantes tuæ tuorumque Ducum,
 & annonæ Præfectorum dispositiones, qui-
 bus fiebat, ut annonæ jam vehi, jam reve-
 hi, fœnum nunc ad hunc locum transponi,
 nunc ad priorem reduci, sæpe citra necessi-
 tatem, debuerit. Supremus quidem anno-
 næ Præfectus, vir ad gerendum hoc summi
 momenti munus a natura quasi comparatus,
 pro incumbente sibi officio, monuit, urfit,
 scripsit, minas etiam adjecit; sed quid unus
 homo in tanto negotiorum mari, in tanta
 locorum distantia, in tanto subalternorum
 numero efficere potuit? computa hæc om-
 nia, & agnosces, plus ærarium tuum damni
 perpeffum fuisse, quam si annonæ admini-
 stratio privatis tantum Civibus concedita
 fuisset. Nihil commemoro fraudes & dolos
 ingentis illius annonariæ turbæ, nihil falsas
 mensuras, nihil stupendum fœni & frumenti
 numerum, illius malitia decurtatum. Dam-
 num quidem hoc in ærarium tuum deriva-
 tum non est, sed an & Cives tuos defrau-
 dare licuit?

J.

J. Quid ergo agendum erat?

M. Ther. Quid? audivisses fidele tuum Consilium Locumtenentiale, audivisses dignissimum ejus Præsidem, qui hac una de causa Viennam se contulit; denique audivisses lateri tuo adhærens aulicum Dicastrium. Proposuerunt hi tibi modum, quo & oppressio Civium evitari, & exercitui minoribus impentis, via autem certiori consuli, & innumeris Regni lamentis finis imponi possit; sed tu fixo tuo systemati firmiter inhærens cunctis his te moveri non sivisti. — Sed jam tempus colloquio nostro præfixum præterlabitur. Id unum adhuc addo, mirari te jam non debere, si dilecta mihi Gens Hungara tot tantisque innovationibus a te inductis, tot vulneribus eorum iuribus & libertati inflictis, tot oppressionibus cujusque fere status faucia, alieno primum a te animo esse, tandem nullo malorum suorum remedio usquam invento, ad ea, quæ jam in vita tua vidisti (ah utinam non vidisses!) delapsa fuerit.

J. Mater, ah dilecta mihi Mater agnovi, sed heu! jam sero nimis errores meos,



Agnovi, non satis esse Principi, si bonum cor, puram intentionem, finesque in cunctis suis actionibus honestos præferat; sed necesse insuper esse, ut plus judicio Virorum longo rerum usu exercitatorum, quam suo deferat: jura cujusque Nationis inconcussa relinquat: perfidos, & ignorantes Ministros ab Aula removeat: bonum non sua, sed Populi totius opinione pensitet; denique si etiam, uti humanum errare est, a recto forte tramite deflectere contingat, errorem non pertinaciter defendat, sed sincera voluntate emendet. O si hæc, quoad sicut, observassem! Quantum boni universis meis Provinciis, sed præsertim Hungariæ, meo sub Imperio accessisset! quot curis & fatigiis me liberassem! denique quam ego fortunatus, quam Populi mei felices fuissent! — Interim paucis ante obitum diebus cuncta Hungaris jura, & libertates proprio motu restitui, Regnumque integro novennio tot agitated fluctibus, ad eum ipsum, in quo abs te, Mater, illud accepi, statum reposui. — Fruantur pace mea omni illa felicitate, quam in veteri sua constitutione



reponunt; sed veniet tempus, ubi illi ipsi Hungari, qui nunc restitutas sibi leges gratulantur, earum suspirabunt emendationem, measque aliqua saltem in parte constitutiones sequi non dubitabunt. Veniet tempus, ubi Gens Hungara Josephum II. infeliciter quidem regnasse, sed tamen nihil mala voluntate, nihil secundariis e finibus, nihil animo Nationem semper sibi caram, & æstimatam lædendi, suisque juribus & libertatibus exuendi, ab eo actum factumque fuisse; sed in eo solum infelici fato errasse, quod abusus corrigere volendo, ea etiam, quæ bene constituta fuerunt, nimio abreptus fervore, loco moverit, agnoscat, easque quibus nunc agitur suspiciones sponte deponet.

M. Ther. Relinquamus hæc, Fili mi. Quidquid abs te erratum est, Leopoldus corriget. Hac te cogitatione solari debes. Age nunc potius, ut te ad magnum illud Beati Regum Hungariæ senatus iudicium compares. Vale


J. Vale mater per dilecta. — O miseram Principum fortem!



COLLOQUIUM V.

Reges Hungariæ.

S. Stephanus. **I**llustres Umbræ! audivistis Josephum II. Romanorum Imperatorem, Regemque Hungariæ, & Bohemiæ, qui nunc hic pro tribunali vestro stetit. Quidquid a primo suscepti Regiminis anno usque ad ultimum vitæ halitum ab eo actum, factumque, intellexistis. Quid jam cogitatis? quem ei his in Regionibus locum assignabimus? illumne (quod non puto) densis obsitum tenebris? an eminentem hunc, in quo nos æternum felices umbræ sedemus? aut medium illum, qui Regibus, non quidem sceleratis, attamen suæ magis commoditatis, quam publicæ Populi sui salutis studiosis, vecordibus, sanorum consiliorum contemtoribus, denique talibus, qui non tam male agendo, quam nihil, nec tam sinistra intentione, quam nimia



proprii ingenii fiducia peccarunt, debetur?
— Edite sententiam vestram.

S. Ladislaus. Equidem de tristi illo tenebrarum loco, meo quidem iudicio, hic quæstio esse non potest. Nullius enim Josephus unquam Civium sanguine manus poluit: nullius bona, atque proprietatem eripuit: Regna sua non, ut heredia familiæ suæ, nec Populos, ut servos, nec homines, ut jumenta, consideravit: Non rapinæ, non alieni thori sæda violatio, non Ecclesiæ, Sanctæque illius Religionis oppressio, non tyrannis, nulla denique tam enormia facinora Thronum ejus commacularunt. Verbo: non fuit Nero, non Julianus, non Caligula, ut alienis potius, quam domesticis utar exemplis. In scelestorum itaque Regum numero nulla eum ratione censeri posse existimo. Quid tibi videtur tu justitiæ exemplum Ferdinande?

Ferdinandus I. *Pereat mundus, fiat justitia* (a) Agite beati focii, quod æquum vobis

(a) Solitum Ferdinandi I. hæc fuisse adagium Historici referunt.

vobis videtur. Meus ille quidem Nepos est: aſt Nepotismum ego olim ipſa etiam in Romana curia damnare ſolitus fui.

Mathias Corv. Ut, quod res eſt, dicam; fateri debeo, ſi vitam Joſephi penitius conſiderem, multa me reperire, quæ excuſari vix poſſe exiſtimo. Cur enim libertates Populi protrivit? cur Coronam abſtulit? cur novam Regiminis formam non audito Populo induxit? cur Eccleſias profanavit, Monasteria diruit, Sacros Viros, imo ipſas etiam Veſtales e ſeptis ſuis ejecit? cur?

Ludovicus I. Quod mearum partium eſt, ego vetus illud adagium: *quidquid agant homines, intentio judicat omnes*, tanquam certum, ac indubitatum cunctarum Joſephi actionum criterium, ante oculos nobis primo loco verſari debere puto. Hoc enim inter humana, noſtraque intereſt judicia, quod ibi tantum de externis, hic etiam de internis; ibi tantum de cortice, hic etiam de medulla Prætor judicet. Si ergo Gens noſtra, cui intima cordis penetralia patere non potuere, Joſephi actiones

condemnat: at nostrum est videre, quo fine? qua causa? qua intentione? quidvis inceptum ab eo, actumque fuerit?

S. Stephanus. Ita sane convenit. Cæca enim, heu! nimium cæca est Gens mortalium.

Sigismundus. Magne Rex Stephane! ego quoque aliquando mortalis fui, ego quoque perinde, ac Josephus Romani Imperii Coronam gestavi, ego quoque, quemadmodum ille, Magni Arpadi me Nepotem appellare non potui. Nunquam tamen in mentem mihi venit, ut infcio, ac invito Populo leges perferrem. Hac una re Josephus peccavit. Videtur tamen pluribus, iisque magni ponderis argumentis defendi posse. Jam primum illud est, quod nobismet ipsis, quemadmodum Decreta a nobis relicta testantur, nihil magis in votis fuerit, quam ut leges, mutatis rerum, temporumque circumstantiis, emendentur, id, quod vitiosum in iis est, resecetur, id, quod imperfectum, suppleatur. Huc Statuum quoque, Gentisque universæ vota quovis pene seculo, quavis ætate tendebant,

bant. Hoc Josephus scivit; itaque magno huic labori, quem nos, Regno continuis fere bellis, motibus, & animorum scissionibus perturbato, perficere non potuimus, manus admovit.

Uladis'aus II. Me quoque ad clavum Regni Hungariæ sedente id Status magnopere suspirabant. Quapropter Magistro Adam, & Magistro Verböczy, ambobus peritissimis in arte Viris, commisi, ut Charissimæ meæ sponsæ Hungariæ novam, eamque splendidam vestem conficerent. Prior nihil fecit; posterior vestem quidem formavit, sed tripartitam; nempe ex Hungarico, Romano, & Canonico panno compositam (a) & ideo inconcinnam.

Ferdinandus I. Mira hæc in oculis Hungarorum fuit figura! ideo ego non jam

K 4

duos

(a) *Eligatur Magister Adam per Regiam Majestatem, qui consuetudines Regni conscribat. Domini Regnicolæ illi provisionem facient, & cum eo superinæ concordabunt. Ulad. II. Decr. II. art. 6.*

Notandum est Adamum & Verböczium Protonotarios Regni fuisse, & ideo juxta veterem usum Magistri, id est: Jurisconsulti in legibus appellantur.



duos solum Magistros, ast sexdecim Viros, sane quam peritos, Populo ita postulante, delegi, qui Verböczianum opus retexerent, novumque Hungariæ amictum pararent. (b) Sed en! in locum Tripartiti quadripartitus prodivit. Id vero nec mihi, nec Populo placuit, & sic antiqua denique vestis a Verböczio confuta mansit.

Carolus Rob. Quod Josephus legum emendationem etiam sub Leopoldo, Carolo VI., nostraque sorore M. Theresia toties susceptam, nunquam terminatam, cordi sibi sumserit, id laude dignum est. Sed quæro, cur omnia suo solum arbitrato, & nihil cum Populi scitu, & consensu egerit?

Bela II. Hic lupus cubat.

S. Ladislaus. At mihi videtur Josephus hac in re ita cogitasse. "Legum
,, emen-

(b) *Majestas sua universa Decreta Prædecessorum suorum per illos sedecim electos Juris peritos — — — infra futuram generalem Dietam, emendari, emendataque in unum corpus redigi faciat.* Ferd. I. Dec. I. art. 3.

Hi in locum Tripartiti, quadripartitum opus elaborarunt, quod nunquam lucem aspexit, nec lege receptum fuit.

„ emendatio in Regno Hungariæ necessaria
 „ est. Necessaria sane, quia Populus toties
 „ desiderat. Grande hoc opus fateor; sed
 „ quia non impar meis viribus, & magno
 „ meo nomine dignum, suscipiam illud —
 „ at solus. Cunctis perfectis, Comitia in-
 „ dicam; quid fecerim, ostendam. Tum
 „ vero Status & Ordines gratulabuntur,
 „ Majorum suorum vota impleta; sua vero
 „ præventa esse.”

Mathias Corv. Josephum ita animo
 comparatum fuisse, vix dubitari potest.
 Imo vero productis aliquot normalium con-
 sultorum voluminibus, tanquam indubiis
 documentis, quorum multis clausulæ *inte-*
rim, vel: *usque ad futuram Diætam*, in-
 fertæ sunt, id ipse coram Illustri hoc Senatu
 comprobavit. Me quoque aliquando idem
 fecisse memini. Magis enim examinari
 posse censui, quod videtur, quam quod ad-
 ditur. Sed, quia hoc Prælatos, Barones,
 & Nobiles ægro animo tulisse, observavi;
 ungue semel adusto; cautior redditus sum.
 — Attamen id mente fatis assequi non
 possum, cur Sacram Regni Coronam; ob



quam pervicaciter detentam, ego totam pene Austriam ferro & igne devastavi, & ob quam non restitutam sub tuo, Ladislæ posthume, imperio ipsi Austriaci multis a Patre meo cladibus attriti, ideoque irritati, contra proprium suum Ducem arma stringere non dubitarunt, (a) e Regno Hungariæ abstulerit?

Ludovicus I. Hoc quoque aliqua ratione excusari posse existimo. Arcem enim Posonensem, Sacri hujus Palladii sedem, junioris Cleri educationi, ut scitis, addidit: in Budensi autem locus necdum adaptatus fuit. Cogitabat itaque: *Tempus Coronationis meæ instat, tum ego Hungaris & Personam meam, & Coronam dabo. Una sollemnitate duplex sollemnitas absolvetur.*

Andreas II. Id Josephum animo agitalle, nemini Vestrum, qui tenatiorem ejus indolem novistis mirum videbitur. — Sed cur libertates Ordinis equestris, quas tu Dive Stephane ei tam liberaliter concessisti,


(a) *Primi fuere Austriaci, qui eapropter in eum (Fredericum Cæsarem) arma corripuerunt. Clariss. Palma in notis rer. Hung. ad Annum 1451.*

sti, ego vero Bulla aurea confirmavi, violare ausus? cur numeros Nobilium curiis affigi? cur fundos eorum mensurari præcepit? quo hæc tendebant?

S. Ladislaus. Numeros domibus apponere, innocens in se, & si quævis obliqua absit intentio, multis nominibus utile, & ideo tota fere in Europa usitatum institutum est. — Dimensione autem rectam in Tributis proportionem quæsit Josephus; quæ utinam aliquando inveniri posset! Certe in Patria nostra id cumprimis necessarium fore nemo Vestrum non videt, ubi unus Comitatus præ alio, unus subditus præ alio gravatur; universim autem usitato tributa repartendi modo industria punitur, negligentia præmiatur. — At quare Nobilium etiam, quos a tributis inde a prima Hungariæ ætate propter incumbens eis militandi officium semper immunes fuisse constat, fundos catenæ subjecerit, quæris Andrea?

Andreas II. Ita vero.

S. Ladislaus. Absit, ut credamus, id cum unquam animo propositum habuisse, ut



Inclytum hunc Ordinem, qui propter eximia sua in Rempublicam merita omni tempore exemptus fuit, tributis subjiceret. Non certe! Verum fixum ei firmumque fuit, in proximis Regni Comitiis Statibus & Ordinibus proponere: an non onus Infurrectionis, quod jam, constituta regulari militia, raro admodum recurrere potest, parato ære, sponte oblato, atque unice in commodum Regni convertendo, redimere mallent? si ita; en cunctis Nobilium fundis conscriptis, & eminentis, paratam, eamque facilem proportionem! sin minus; res ita, prout antehac mansisset. Utiq; hanc suam esse mentem Josephus haud semel declaravit.

S. Stephanus. Ita Josephum cogitasse, ipse Regalis Senatus, qui veteri meo instituto, ejus constanter lateri adhærebat, non ignoravit.

Uladislaus II. Et nec aliud, spectata prudentiæ ratione cogitare potuit. — Ceterum, illustres vobis, notum vobis est, me propter lenem meam indolem ab Hungaris, quoad vixi, ludibrio habitum fuisse. Id

ego tum, fateor, ægre ferebam, persuasus firmiter, primam Regiæ Dignitatis virtutem, lenitatem animi esse. — At jam nunc, dum spiritus, corporeo solutus pondere, cuncta clarius perspicit, meos olim Hungaros excuso. Id enim indubium est, omne nimium vitiosum esse. — Sed vicissim, id quoque confiteri debeo, nimium illum rigorem, qui in cunctis Josephi actionibus observatus est, nihilo minus, ac immoderatam lenitatem, inter vitia reponendum esse. Nonne & tu quoque Illustris soror, ejusdem jam es sententiæ?

M. Theresia. Medium tenere beati. Beati inquam; nam imbecillis homo plerumque in unam vel aliam partem justo magis abripitur.

S. Ladislaus. Sunt tempora lenitatis, sunt tempora summi rigoris. Abusus quandoque adeo in Republica invalescunt, ut non nisi ense curari possint. Hoc, proh dolor! mihi in vita accidit. Tantis enim furtis, rapinis, & prædæciniis universum Regnum impletum fuit, ut enormes, & nusquam in Europa auditæ pœnæ abs me statui



statui debuerint. — Tu quoque, Frater Corvine, horrenda aliquoties severitatis exempla edidisti, cur? quia nempe sub nimum leni Mariæ I. Sigismundi, & Alberti regimine potentiorum audacia in immensum crevit, infandaque debiliores opprimendi licentia in consuetudinem quasi abiit. — Et quando in rusticam plebem magis sevitum est, quam te, Uladislæ, regnante? at id fieri oportuit. Secus enim univèrsus Nobilium ordo a fæda vilissimæ plebis colluvie interneceione deletus fuisset. — An ergo Josephus, si in Ministros, clementia Sororis nostræ M. Theresiæ turpiter abusus, paulo acrius animadvertit, culpandus? — Meo quidem iudicio, id Josepho magis vitio dandum, quod in Viros Nobilitate generis, gestisque muneribus claros, justo magis austerus, contra in nefandos prædones, qui in Ultrasilvanis, Marusianisque partibus, miseranda tot præstantissimorum Virorum nece, manus suas polluerunt, indulgentior, quam oportebat, fuerit. Nonne Frater Uladislæ, ita se res habet?

Uladislaus. II. Dobz'e. (a)

Ludovicus I. Nihil bono Principi optabilius in vita esse deberet, quam ut nunquam quam gladium e vagina stringere oporteat. Sed si scelera aliis corrigi suppliciiis non possint, in politico corpore idem, quod in humano, fieri debet, in quo, si membrum aliquod cancer occupet, medicus, alio medicamine incassum adhibito, ferrum arripit. Ad hoc igitur *Josephus* attendere oblitus est, itaque erravit, sed oblivione, non malitia.

Bela II. At Ordines Religiosorum abrogati, Monasteria, quæ nos primi Reges tanto numero, tantaque munificentia extruximus, sublata, templa profanata, vindictam exposcunt. Cæcus fui in vita, tantum tamen luminis fata mihi reliquerunt, ut, quod Deo semel dicatum est, id humana

na

(a) Historici scribunt, *Uladislaum* quidquid sibi a Ministris propositum fuisset, respondere solitum fuisse: *Dobrze*, quod in lingua Bohemica bene significat. Unde per ludibrium *Dob'ze Király* vocabatur.



na retrahi non debere manu, luce clarius viderim.

S. Stephanus. Graviuscule mihi accidisse, non diffiteor, cum antiquissimum Hungariæ Monasterium, cujus fundamenta Pater meus Geycha jecit, quodve ego, votum Divo Martino factum exoluturus, perfeci, ac præter plurima alia bona, decimis insuper Simeghienfibus locupletavi, a Josepho eversum esse intellexi. (b) Putassem senilem saltem ætatem meam a quadragesimo octavo Nepote meo aliquod reverentiæ testimonium promereri posse.


Colomanus. Quæ tu, Dive Rex Stephane, Monasteria fundasti, ea inconvulsa relinqui nostra, erga te pietas, ac veneratio svasit. Nemo præter hunc tuum Nepotulum, adeo temeritatis progressus est, ut, quod pia tua manus ædificavit, destrueret. — Sed tamen fatendum est, hanc initio laudabilem, imo necessariam munificentiam, nostra tuorum successorum ætate justos sæpe transcendisse limites. Quapropter ego,

solo

(b) Monasterium Benedictinorum in monte Pannoniæ prope Jaurinum a S. Stephano fundatum.

solo Reipublicæ amore ductus, malo huic remedium, quoad potui, ferre conatus sum; sed enim oleum & operam perdidit.

Bela IV. Ego quoque aliquando eundem lapidem volvi. Sed Tartarorum incurfio, mea fuga, & nimia Procerum potentia meos pariter conatus Terræ alliferunt. Debat ergo malo huic, magis in dies magisque serpenti, tandem aliquando obex poni. — Denique Monachi — illi Monachi, qui in primæva Hungariæ Ecclesia non sibi, sed salutis unice Populi vacabant, & caelestes potius, quam mundanas conſectari ſtudebant divitias; o quantum poſterioribus temporibus a veſtigiis ſuorum Patrum reſceſſerunt! revocari igitur ad vetus ſuum Inſtitutum debebant: aut ſi nulla correctionis ſpes ſuperfuit, an non arbo- rem, malos fructus proferentem, exſcindere oportuerat? In eo tamen carpi, mea quidem ſententia, meretur Joſephus, quod in re tanti momenti ſuo unice arbitrato, quod præcipitanter, quod non debito modo, nec provido cum ſelectu proceſſerit. Sa- tius, ut ego quidem exiſtimo, & tutiſſi-



num fuisset, rem omnem ad Comitæ Regni differre. Ita infelix Rex pacem sibi peperisset, Populis autem tantarum suspicionum, totque ejulatum, quorum nunquam finis fuit, fomitem ademisset. — Tandem Ecclesias auctoritate Episcoporum esecrari jussit; eas itaque, postquam Sacræ esse desierunt, profanum in usum convertere potuit.

Emericus. At Reliquiæ? at Amuleta? at Indulgentiæ?

Bela III. Reliquiæ nostra ætate raræ in Hungaria apparebant. Arpad, & Zoltan ex Italia aurum, & argentum, non Reliquias, in Hungariam importabant. Tu o Geyza, tuque Dive Rex, inde vivas potius Reliquias, Viros quippe Sanctitate conspicuos, quam anima carentes, educere conabamini. Sed Frater noster Andreas Regnum, quod Hyerosolimas proficiscendo pecuniis evacuaverat, redux Sacris ossibus replevit, (a) E copiosa præterea Hungarorum
ad

(a) *Andrea, & Hungaris irreparabili potius damno, quam lucro fuit ea Peregrinatio. Præterquam enim, quod immensam pecunie secum ablata viis*

ad limina S. Petri divertentium multitudi-
ne quis sine hoc Thesauro redivit? Et quis
vestrum, o Judices! non perspicit, neces-
sarium fuisse, ut tandem evigiletur, atque
abusus circa Reliquias (idem etiam de
Amuletis, & Indulgentiis dictum esto) tem-
porum vicissitudine inducti tollantur.

Colomanus. Poterant Hungari e De-
cretis meis discere, strigas non dari. (b)
Itaque Amuleta etiam ad examen vocari
oportebat. Quapropter e re Religionis
fuisse ipse quoque agnosco, ut Principum
aliquis surgeret, qui majorem hoc circa
objectum vigilantiam excitaret. De Indul-
gentiis nihil dicam. Has, ut decuit, nos
olim in pretio habuimus, sed posteaquam
hæ ultra modum multiplicatæ sunt, rei an-

L 2

tehac

*in oriente profuderint, spolia etiam, quæ barbaris
eripuerant, in diuturni itineris sumtus converterere
sunt coacti, ut adeo facultatibus omnibus exhausti,
non nisi sanctorum Lypsana in Hungariam intule-
runt. Clariss. Pama novit. Rer. Hung. ad An-
num 1206.*

(b) *De strigis, quæ non sunt, nulla questio fiat. Co-
loman. L. 1. Cap. 57.*



tehæ usque adeo æstimatæ vilitas successit. Josephus itaque abusum, non rem bonam, sustulit.

Sigismundus. Videtur tamen ultra, quam oportuit, progressus fuisse. Episcopis hæc potius cura relinquenda fuisset.

Albertus. Liceat, Venerande Socer, vosque Illustres Hungariæ Reges! & mihi tametsi ætate inter vos minimo, intersari. — Dux ego Austriæ fui, & in primo ætatis flore, cum Sigismundus, quem isthic præsentem veneror, Filiam mihi suam Elisabetham præ tot aliis procis nuptui tradidit. Cum hac subinde consensu Procerum, Coronam etiam Hungariæ adeptus sum. Quam mihi gloriosum fuit, tantæ Gentis imperium obtinere, tam anxie quotidie curæ animum sollicitum reddebant meum, ne quid, quod Nobili huic Genti offendiculo esset, aliquando vel invitus admitterem. Advertit hoc bonus meus Socer, itaque quadam vice ambabus me amplexus ulnis, suoque adstringens pectori, fili, inquit, noli timere. Jam id mihi de te spem non vanam promittit, felicem te aliquando futurum



turum Regem, quod tuis te diffidere viribus video. Ita enim sine consilio Seniorum nihil te suscepturum prælagio; Et revera hanc unam, o Fili! observa legem, & non aberrabis. — Quodsi non solum bene, sed gloriose etiam imperare cupis — svadeo, hortor, oro te, ne Sanctissima, Sancti Nostri Regis præcepta unquam ex oculis dimittas. Crede mihi, est aliquid in iis plus quam humanum. Est aliquid, quod corda Hungarorum, si vel ferrea sint, ad se trahit. Tu eris illorum delicia, tu Amor, tu Gloria. — Sequutus sum optimi Soceri, imo Patris mei, monitum; & (nequeo sine intimo animi gaudio meminisse) regnavi feliciter. Cum vivum me Gens Hungara, quam tenere! dilexit; tum mortuum communi luctu deploravit. Ah Josephhe, vere infelix Josephhe, cur tu aurea illa monita neglexisti? (a) Hæc mihi, o

L 3

Pa-

(a) Revera aurea monita! — vel ex paucis, quæ hic subjunguntur, attentus lector animadvertet, quam profunda, quam Genti Hungaricæ accommoda magni nostri Regis Stephani fuerit politica.

Patres, omnium origo malorum fuisse videtur.

S. Stephanus. Præcepta, Alberto quæ ego Filio meo Emerico, heu! præmaturo mihi fato erepto, dedi, non sunt a me excogitata, non! — ipa natura, ipsa ratio, ea menti cujusvis Principis, si modo Principem, id est Patrem se Populi esse suum meminit, indidit. Atque ideo Josephus in tot, tamque graves præceptis ruit errores; non quia monita mea non legit, sed quia pro-

-
- „ Fili mi, ferventi studio invigila in Sancta Ec-
 „ clesia de die in diem, ut potius capiat aug-
 „ mentum, quam detrimentum patiatur. Hoc
 „ fac, ut tua Corona laudabilior, & vita bea-
 „ tior, & prolixior sit.
- „ Seniores (id est Episcopus) ita custodias, si-
 „ cut oculorum pupillas. Si illorum benevo-
 „ lentiam habebis, neminem adversariorum ti-
 „ mebis. Illis quidem te observantibus eris
 „ securus in omnibus.
- „ Illi (*nempe Barones, Proceres, & Nobiles*) tibi
 „ sint Patres, & Fratres. Ex his neminem in
 „ servitutem rediges, vel servum nomines.
 „ Illi tibi militent, non serviant. Eorum
 „ omnibus sine ira & superbia atque invidia
 „ pacifice, humiliter, mansvete dominare.

proprium suum cor examinare prætermisit, dignior ea propter commiseratione, quam damnatione.

Ludovicus I. Illustres umbræ! equidem salvo vestro iudicio, multas ego Josephi actiones reperio, quæ bonus animus rectaque intentio excusare possunt. Sed rursus fateri cogor, multas esse adeo atro colore tinctas, ut vix dealbari queant. Vel id solum censura dignum esse quis negabit,

L 4

gabit,


„ Si eris pacificus, tunc diceris Rex, & amabe-
 „ ris a cunctis militibus (*Nobilibus*) tibi iracun-
 „ dus, superbus, invidus, impacificus, & su-
 „ per Comites & Principes cervicem erexeris
 „ — — — alienis tradent regnum tuum.

„ Quotiescunque causa ad te venerit, — — —
 „ noli eam per te ipsum dijudicare, ne tua
 „ Regalis dignitas usurpatione inferiorum nego-
 „ tiorum sædetur; sed potius hujusmodi nego-
 „ tium ad Iudices mitte.

„ Time esse Iudex, gaude vero Rex esse.

„ Quando autem aliquid, quod tuæ convenit ju-
 „ dicandum dignitati, venerit; cum patientia,
 „ & misericordia judica.

„ Unius lingvæ, uniusque moris Regnum imbe-
 „ cille, & fragile est. Quis Græcus regeret
 „ Latinos græcis moribus? — —



gabit, quod cuncta proprio arbitrio, non audito Populo, nec convocatis Regni Statibus, egerit; itaque despoticum quoddam imperium in Gentem liberam exercere non dubitaverit. Quid? quod præcipiti suo ingenio, nec fatis digestis suorum consiliariorum, quos repudiatis veteribus Ministris malo omine sibi delegit, consiliis Rempubli- cam Hungaricam miserandum in modum conturbaverit, atque ita tot, tantisque Populi, sed præsertim Nobilioris partis querimoniis


- „ Cum juvenibus, & minus sapientibus noli consiliari, sed cum senioribus. Nam consilia Regum in præcordiis sapientum debent claudi, non ventositate stultorum propagari.
- „ Quidquid negotii unicuique convenit ætati, in hoc se exerceat, scilicet juvenes in armis, Senatores in consiliis.
- „ Non sunt tamen juvenes expellendi a consiliis. Si tamen consilium cum iis inibis, semper ad Majores deferas.
- „ Regale ornamentum scito esse maximum, sequi
 „ Antecessores Reges, & honestos imitari Parentes.
- „ Qui Antecessorum Decreta spernit Patrum, nec
 „ Divinas procurat leges, peribit.
- „ Grave tibi est, hujus climatis tenere Regnum,

monis ansam præbuerit. — Interim, posteaquam cuncta ejus demerita ad unam lancem posita sunt, justum est, ut ea etiam, quæ recte sapienterque ab eo acta sunt, ad aliam ponantur. Ita enim meritis, & demeritis, æqua statera ponderatis, vestra observabit æquitas, hæc, an illa præponderent. — Quapropter si grave vobis non videtur, Ellenchum, quem Fratres nostri e domo Austriaca oriundi mihi, qua Illustris hujus Senatus Cancellario exhibuerunt, vobis prælegam. In hoc indoles

L 5

illius,

-
- „ nisi imitator consuetudinis ante regnantium
„ exstiteris Regum.
„ Oportet Regem esse Pium, Misericordem, &
„ ceteris virtutibus imbutum. Rex enim impietate,
„ & crudelitate sedatus, incassum sibi
„ vindicat nomen Regis, quia Tyrannus est
„ dicendus.
„ Sis misericors omnibus vim patientibus.
„ Patiens esto ad omnes non tantum Potentes,
„ sed etiam potestate carentes.
„ Sis Fortis, ne te prosperitas nimium elevant,
„ aut adversitas dejiciat.
„ Ultra modum neminem punias, vel damnes.
„ Sis honestus, ut nunquam alicui spontaneum
„ inferas dedecus.”



illius, tum utiles quædam, ac in commo-
dum Reipublicæ Hungariæ tendentes con-
stitutiones non tam describuntur, quam ad-
umbrantur.

S. Stephanus. Æquum est, Patres
conscripti, ut indignum illum Principum
terrenorum morem evitemus, qui Mini-
strum humana forte inbecillitate lapsum,
vel unius delicti, aut erroris admitti causa,
cunctis ejus servitiis, quæ is Principi, ac
Reipublicæ per 30. forte, & ultra annos,
non minus fideliter, atque utiliter præstite-
rat, insuper habitis, condemnare solent. —
Atque ideo alienus non sum, quominus
memoratus modo Ellenchus, coram Vene-
rabili nostro senatu legatur.

Ludovicus I. legit. "Ellenchus eorum,
,, quæ in commendationem Josephi, Ro-
,, manor. Imperatoris, Regisque Hungariæ,
,, & Bohemiæ (pleno titulo) cedere posse
,, videntur.

,, 1^{mo} Non facile Europa Regem ullum
,, protulit, qui tanta assiduitate, tantaque
,, virium intensione publicis se negotiis
,, impendisset, uti Josephus, Integris sæpe
,, die-

„ diebus, imo noctibus etiam in conclavi
 „ suo scripsit, legit, dictavit, &, medius
 „ inter Secretarios & scribas, summa quæ-
 „ que Reipublicæ negotia mirabili cum dex-
 „ teritate expediebat. Sæpe ipse sibi Se-
 „ cretarius, ipse scriba fuit. ”

Sigismundus. Optandum fuisset, ut
 procul a turba Secretariorum; consilio po-
 tius Ministrorum, qui inter Reipublicæ ne-
 gotia incanuerunt, suorumque Dicasterio-
 rum usus fuisset. Nos in conclavibus no-
 stris (*Cabinetis*) uxores nostras & dulcissi-
 ma pignora, non turbam Secretariorum
 aluimus. Hic nos non labores, sed quie-
 tem a laboribus quærere solebamus. Infe-
 lix Princeps! qui suo omnia ingenio agere
 vult!

Ludovicus I. ” 2^{do} Hoc suo exemplo
 „ cuncta Dicasteria, omnes Provinciarum
 „ Magistratus, animavit. Omnia ad mo-
 „ tum posita sunt. Tardus ille, ex confusa
 „ rerum administratione suapte profluens
 „ negotiorum cursus, dicasterialis dictus,
 „ acceleratus: Ministris, præsertim inferio-
 „ ris subsellii horæ, quibus ad locum officii
 „ sui



„ sui compareant, quibus discedant, præsi-
 „ nitæ: Consiliariis & Secretariis, privata
 „ conclavia, ubi certis per diem horis la-
 „ borent, assignata: usitatæ alias a laboribus
 „ vacationes tantum ad casus necessitatis
 „ restrictæ: tituli, inanes benevolentia ca-
 „ ptationes, vagæ rei cujusvis circumscri-
 „ ptiones, e Repræsentationibus, Decretis,
 „ & similibus proscriptæ: ipsi etiam libelli
 „ supplices, intra arctos brevitatis cancellos
 „ inclusi sunt.”

Bela III. Primus ego, dum Bizantio
 ad Hungariam rediissem, libellos suppli-
 ces, in Aula mea induxi, atque ita vete-
 rem illam consuetudinem, qua Regibus
 cuncta verbo solum proponi solebant, pro-
 scripsi. Sed fateor, illa simplicitas, illa
 verborum brevitatis, quæ a Josepho præ-
 scripta est, ne in Græcorum quidem libellis
 emicuit.

Ludovicus I. ” 3^{tio} Quod amplius est,
 „ servilem illum morem, quo subditos in
 „ conspectu Principis genua flectere oportuit,
 „ abrogavit. Homo sum, dicebat
 „ ille vesterque Frater, non Deus. Absit


„ a vobis, o quique in meam venitis præ-
 „ sentiam, ut illud obsequii genus, quod
 „ supremo rerum omnium arbitro solum
 „ convenit, mihi exhibeatis. Date Deo,
 „ quæ Dei sunt, & Cæsari, id est Civilis
 „ societatis, quæ vos mecum & me vobis-
 „ cum necit, capiti, quod cæsaris est.”

S. Ladislaus. Sic, sic Principes terræ cogitare decet. — Et jam cogitant. Exemplum Josephi jam ad cunctas Europæ aulas sensim penetrat.

Ludovicus I. ” 4^{to} Hinc tot, tanta-
 „ que Normalia, uti vulgo appellantur,
 „ constituta, quibus multa replentur volu-
 „ mina, profluxerunt.”

Carolus Robert. Utinam vero a principio statim Hungariæ id usu receptum fuisset! Multa certe, quæ nos, Magnæ olim Hungariæ (a) Principes, pro communi totius

(a) Inveniuntur diplomata, in quibus Principes Magni Regni Hungariæ Reges se nominant. Et vero quis ei titulum Magni adimat, qui consideraverit, ad Hungariam præter Croatiam, Dalmatiam, Sclavoniam, & Transilvaniam, insuper Serviam, Valachiam, Moldaviam, Cul-



tius Gentis commodo constituimus, in memoria hominum etiamnum versarentur, nec tot, tantaque Decreta nostra, tinearum morfu ablumpta, in perennem venissent oblivionem. Quam pulcras leges Arpadus in campo Szer novello suo Populo tulit! quam insignia sunt statuta, a vobis Belæ, Geisæ, Emerici condita! & ubi horum omnium memoria? — Nam de memet ipso loqui non volo. Rubore enim, si ad vitam redirem, suffundi deberem, videndo, hodie nos Europæ Principes volumina legum conscribere, e toto vero meo regimine, quod 32. annis tenui, unicum, idque de folis Colybis editum, proflare Decretum.

Andreas I. At tu quidem longe felicior me es, Roberte. E tot enim constitutionibus meis tantum fragmentum unius Decreti vastam illam oblivionis voraginem evasit. Et hoc etiam non Regibus Hungariæ, non Populo, sed privatæ quorundam scriptorum, qui Decreta nostra e variis Re-

miam, Galliciam, Lodomeriam; sub Mathia autem Corvino Moraviam etiam Lohemiam, Silesiam, Auftriam & Lusatiam pertinuisse?

Regni angulis magno labore, nullo præmio
 protraxerunt, in acceptis referre debemus.
 Ita incuria Gens olim nostra fuit. (a)

Ludovicus I. " Hac ratione indignam
 „ illam Dicasteriorum consuetudinem, qua
 „ mandata Regia, tanquam secreta quædam
 „ oracula occultabantur, nefasque putabatur,
 „ ea typis vulgare, sustulit Josephus. Et
 „ quam facile est cuique etiam minimæ in
 „ Republica partis administro, & officiali
 „ munus explere suum, dum quævis De-
 „ creta Regia, quasvis Consilii Regii ordi-
 „ nationes politicas, & judiciales, milita-
 „ res, & Camerales, Ecclesiasticas, & æco-
 „ nomicas, uno in complexu ante oculos
 „ continuo suos habet. "

Sigismundus. Id quidem dubitari non
 potest. Major in colligendis legibus Græ-
 corum & Romanorum, quam nostratium,
 cura

(a) Quod vel hæc, quæ nunc prostant, Decreta
 Regum collecta habeamus, id sane præprinis
 Joanni Sambuco, tum Zachariæ Mosloczi Epi-
 scopo Nitriensi, & Nicolao Telegdi, Episcopo
 Quinque-Ecclesiensi, qui utilem hunc laborem
 inceperunt, debemus,

cura fuit. Neque opprobrio caret, Hungaris magis notum esse, quibus legibus Roma, & Athenæ ante bis mille, & amplius annos, quam propria Patria ante sexcentos, gubernatæ fuerint?

Ludovicus I. " §¹⁰ Nullus Regni totius angulus fuit, quem non peragravit, Josephus. Ita plenam illius adeptus notitiam, & abusus, qui regnabant, & desideria Populorum, & constitutionem cujuslibet provinciæ, & virorum, publicæ negotiorum administrationi præfectorum, vitia virtutesque propriis oculis vidit, cognovit, & si res tulit, opportunam ferre remedium potuit. Sed tota, quam late patuit, Hungaria, Bohemia, ceteræque ditiones Austriacæ immensam ejus cuncta videndi cognoscendique cupiditatem satiari non potuere. Italiam, Galliam Hollandiam, Russiam, ipsam adeo Chersonesum Tauricam invisit. Romæ in conclavi cum purpuratis Patribus sedit, a Populo, ut Rex Romanorum salutatus: igneam vesuvii voraginem Neapoli alpexit: Versaliis in amplexus amatæ suæ sororis

„ roris ruit: In Silesia Fridericum magnum
 „ inivit, ac vel in hoste virtutem demira-
 „ tus est: Petropoli cum magna Catharina
 „ fædus pepigit: quid? Tanaim & Borys-
 „ thenem, conspectu Majestatis suæ atto-
 „ nitos reddidit. Neque dubium est, Jo-
 „ sephum ex immenso hoc naturæ libro
 „ immensam hausisse rerum cognitionem.
 „ Nam cum Principibus cujusque Regionis
 „ notitiam inivit, abditos Ministrorum sen-
 „ sus exploravit, Viros, in qualibet Europæ
 „ parte a doctrinæ laude celebratos sibi de-
 „ vinxit, denique cujusque Regni mores,
 „ instituta, viresque, aut debilitatem peni-
 „ tius cognovit.”

Mathias Corv. Hoc laudabile est.
 Hunc morem ego quoque tenui, & quam
 id Regno, Regique utile, proprio didici
 experimento. Profecto Vienna, urbs olim
 munitissima, haud ita facile a me expu-
 gnata fuisset, ni aliquot ante mensibus, sub
 vili ruricolæ habitu, cunctos ejus angulos
 perlustrassem.

S. Ladislaus. Exteras peragrarare pro-
 vincias utile esse, persuasus sum. At quis



ex tot tantisque Josephi itineribus in Populos, sceptro illius subiectos dimanavit fructus? — fatius forte fuisset, domi. — — —

Mathias Corv. Si Josephus itinerando nihil commodi reportasset, vel id sane memorabile videtur, quod stultam illam terrenorum Principum persuasionem, quasi vero ultra aulam, Urbemque Metropolitanam egredi, Regiam dedeceret Majestatem, exemplo suo exemerit.


Ludovicus T. "6^{to} Sed quis mirandam
 „ illius, nulloque ævo auditam populari-
 „ tatem, seu facilem illam cum Populo
 „ agendi consuetudinem dignis extollat lau-
 „ dibus? Quavis die, imo quavis fere diei
 „ hora cuique, etiam miserrimo, cum Prin-
 „ cipe suo colloqui licuit: quemvis affabili-
 „ ter, & cum quadam animi demissione ad-
 „ fatus est: libellos supplices e cujuslibet
 „ manu propria suscepit dextera: denique
 „ nullum a se dimisit, quin vel consilio ei
 „ suo, vel gratia succurrisset. Quis credat?
 „ litteras quoque sibi e Provinciis a privato
 „ quocunque cive scriptas (quod alias abs-
 „ que temeritatis nota facere non licuit)

pro-



„prono animo acceptavit, &, quoad licuit
„opem flagitanti ferre admissus est. Hac
„certe agendi ratione cunctis orbis Princi-
„pibus mirandum sane præbuit exemplum,
„ostenditque Regiam Majestatem non vile-
„scere, quin potius novum splendoris gra-
„dum accipere, si se, quemadmodum bo-
„nus Pater filiis suis, ita amato suo Po-
„pulo indulgeat.”

Bela III. Quomocunque spectetur,
mira profecto, & ænigmati similis Josephi
fuit vita. Cum loqueretur, agnus; cum
scriberet, leo visus. Cuncta in aula illius
serena; & tamen quotidiana inde fulmina.
In egenos beneficus alias, alias vel ad vi-
væ miseræ conspectum immotus. Id mul-
tæ viduæ, subtracta, vel imminuta pensio-
ne, toties senserunt. — Una in re semper
sibi constans; pompam odit. Vixit magis,
ut privatus, quam ut Princeps. Splendida
ubique struxit ædificia: ipse vili in came-
rula delituit. Tota civitas militibus plena,
ipse vix unum circa se passus. Aulicorum
mensæ ciborum pondere curvabantur, ipse
modico obsonio contentus. Dum peregrina-



naretur, servi in plumis, ipse in palea cubuit. In castris gregarius magis, quam Imperator. —

Ludovicus I. ” 7^{mo} Hic erga Populum suum amor in aliis etiam omnibus illius actionibus emicuit. Non tantum ut bene, sed commode etiam ut viveret, constans ejus cura fuit. Novit id Vienna, ubi hortos Regios, antea præclusos, nec nisi Nobiliori Civium parti patentes referavit, alios vero gravibus impendiis vel construxit, vel ornavit: ambulacra arboribus utraque ex parte plantatis, amœnam aliquando umbram daturis, in ambitu urbis quaquaversus efformavit: ægris nosocomia, asylum puerperis, receptacula mente captis constituit: surdis quasi auditum, & mutis loquelam, novo & hic nunquam viso instituto reddidit: egenis panem merendi occasionem, publicis erectis officinis præbuit; miseriam denique Civium classem a tributis exemiit. ”


Mathias Corv. Hæc ad Austriacos magis spectant. — Optassem vero, si Josephus

sephus hortos illos pensiles, quos ego aliquando Villegradii construxi, quorum hodie proh dolor! nec vestigium quidem superest: si item fontes salientes, amœnaque tempe, quibus Buda, Regni metropolis, Regumque sedes, meo sub imperio inter omnes Europæ urbes emicuit, instaurasset, si — —

Ludovicus I. Huc quoque curas protendit suas, uti ex ulteriori descriptione patet.

„ 8^{vo} Aliarum etiam Provinciarum, ac
„ præsertim Hungariæ par eum tenuit studium; solem imitatus, qui beneficos suos
„ radios in omnes orbis diffundit partes.
„ Ac præprimis quidem Regni Dicasteria
„ Budam transtulit, atque ita diuturna Populi vota, legemque implevit. Ex eo
„ tempore Budam, tot seculis intra rudera
„ sepultam, ad pristinum revocatam splendorem, splendidissimis ornatam ædificiis,
„ fontibus & hortis instructam domesticus
„ Civis gratulatur, mirantur exteri.”

Mathias Corv. Hoc placet; hoc meum etiam studium fuit. Ego insuper omnia palatia, ab Episcopis, & Proceribus




structa, domosque, a Nobilibus in Arce Budensi, vel in Pomæriis ædificatas a quolibet censu immunes declaravi. Ita omnium animos incredibilis quidam Budæ sibi ædes construendi ardor cepit.

Ludovicus I. " 9^{no} Eadem lux Pestæ, næ etiam urbi affulsit, quæ sub Josepho, Populi numero, commercii amplitudine, magnificentiâ ædificiorum nulli jam secunda est. Vel grandis illa moles, quæ in ripa Danubii stat, ac Civitatis potius, quam domus formam refert, quales, quamve in commodum Hungariæ tendentes Josephi fuerint designationes, sat superque testatur. — (a) Quot autem in Hungaria Civitates sunt, quas vel terræmotu quassatas, vel aquarum vi, aut incendiis labefactatas, sublevata miserorum Civium inopia, paucos intra annos restituit. At si quis commercium maritimum hoc sub Rege provectum, si flumina pontibus constrata, si paludes siccatas, si navigationem promotam, si vias toto

,, pene

(a) Nosocomium, in quinque areas quadratas divisum, & totidem quasi arces referens.




„ pene Regno lapide stratas, vel certe
„ emendatas, præsertim autem Josephinam
„ illam, Carlostadio usque ad Portum Se-
„ gniensem, & hinc ad urbem novam (b)
„ per saxa, & inaccessos antea alpes dedu-
„ ctam consideraverit, mirari certe debe-
„ bit, intra paucos, quibus regnavit, annos
„ tanta, quanta vix seculi unius spatio ex-
„ spectari potuissent, confieri potuisse.”

Colomanus. Me regnante (cujus rei
fine aliqua animi voluptate meminisse non
possim) prima Gentis Hungaricæ vela in
mari Adriatico visa sunt. Sequutus es tu
o Ludovice exemplum meum, sed vixdum
ad æternas has sedes transivisti, jam Ve-
neti, insensu illi Hungarorum hostes, domi-
niam maris Hungaris eripuerunt. Immen-
sum hoc modo Regno illatum damnum,
quod plura per secula vindicari non pote-
rat, Carolus Austriacus, ejusque Dignissima
Filia, nostra autem Soror M. Theresia re-
sarcire quidem nitebantur, sed bella, alia-
que impedimenta — — —

M 4

S. Ste-

(b) Novi, oppidum maritimum.



S. Stephanus. Sinamus hæc. Quod vos illustres umbræ sapienter cepistis, perficiet Leopoldus.

Ludovicus I. " 10^{mo} Artes, manufacturæ, resque Oeconomica, hoc sub Rege provectæ, gratam ab Hungaris merentur memoriam. Budæ enimvero stat Josephi nutu elegans illa ferici Fabrica, ubi juvenus Hungara e cunctis Regni Comitatibus, & Civitatibus, æstivo tempore publicis impendiis aëtur, novamque deglomerandi ferici artem perito sub Magistro (a) condidit. Nulla autem fere Civitas est, ubi diversarum artium & manufactorum Magistri Josepho stimulos addente, & largis adjuvante subsidiis non confidissent. — At si res, œconomica, quæ una Hungariam felicem reddere potest, ac debet, spectetur, quam speciosa se offert undique scena! quam pulcher futura in tempora prospectus! Hic enimvero campi, sub aquis antea demersi, nunc oriza consiti (b) in oculos incidunt:
 „ ibi

(a) Augustino mazzocato, natione Veneto.

(b) Primus in Hungaria orizam colere cepit secun-

„ ibi Gossypium, & Nicotiana, Turcicæ,
 „ aut Virginianæ originis, caput attollunt.
 „ Hæc regio Moris mirifice propagatis, illa
 „ canabe Bononiensi, alia aliis, e peregrino
 „ solo, ipsa adeo ex America traductis (c)
 „ plantis superbit, itaque tot, tantaque,
 „ quæ sub M. Theresia tenera adhuc rerum

M 5

„ nova-

dus Limoni, quem subinde plures alli secuti
 sunt, optato cum successu.

(c) Defunctus Imperator præter diversa alia femina, semen etiam anili (indigo) ex America adferri curavit, eique, qui herbam hanc ceruleum colorem præbentem, in Hungaria seminaverit, ac feminis unam libram produxerit, centum aureos nummos promitti jussit. Facta experimenta, spem felicitis successus jam præbent, quo pacto complures miliones, qui pro hoc colore in exteris ditiones quotannis ciliunt, in Regno manerent. — Ita cum Tabaca americana factum est, cum enim Brasilianna jam a multis annis, præsertim in Comitatu Pofegano, optimo cum successu colatur, nunc Virginiana etiam in Dominio Comitis Michaelis de Nadasd Lendvensi feliciter coli cepit, ex qua Clar. Joannes Lâbos Tabacam Hispanicæ non modo parem, sed multo etiam sanio-rem conficit, qua de re vide elegantem ejus dissertationem: *de cultura Tabacæ Hungaricæ.*



„ novarum erant germina, novis sub Jose-
 „ pho Filio incrementis magis magisque se
 „ evolvere ceperunt. — Quid plus? ipsum
 „ illud natrum, (d) quod antea, tanquam
 „ naturæ maleficium, pestemque agrorum
 „ sprevimus, in multiplices humani generis
 „ usus jam distillari cepit. Posteritas vide-
 „ bit, quantum hoc uno in genere thesau-
 „ rum Hungaria habeat, & tum primo Jo-
 „ sephum, quo adnitente, incognitæ hæ an-
 „ tea, ac nascituris primo nepotibus reser-
 „ vata, divitiarum fodinæ detectæ, apertæ.
 „ que sunt, æstimare incipient. ”


Geiza II. Tabacca, mori, natrum,
 Oriza, & quid non? res nostro ævo inau-
 ditæ!

(d) Naturale illud Alkali, quod veteres natrum
 appellarunt, Hungaris *sæk-só* dictum, magnam
 in Hungaria inferiori camporum partem occu-
 pat. Ejus usum, atque utilitatem complures
 antea Hungariæ Philosophi, arcana naturæ scru-
 tantes, detexerunt, sed Godefridus Liebetrant,
 Comitatus Barsiensis medicus, anno superiore
 factis functus, experimentis cum Pofonii, tum
 Vindobonæ institutis, in publicam lucem pro-
 duxit. Fabrica eapropter M. Theresiopoli,
 prope lacum Palliesium erecta est, quæ tamen
 hætenus, fociis intra se litigantibus, adhæsit.

ditæ! bonum Deum! quomodo Regna sen-
sim, ac sentim perficiuntur! Quanquam ne-
gare non possim, Saxones etiam meos,
quos e Germania in Hungariam & Transil-
vaniam traduxi, multas secum artes, nova-
que inventa attulisse.

Ludovicus I. " *II^{mo}* Non pererrant
„ amplius late patentés Hungariæ campos,
„ & arenas oves crassa, ut olim, lana hi-
„ spidæ, sed Germanico, Hispano, & Pa-
„ duano vellere nobilitatæ. — Nec pro
„ equis immensa pecuniarum vis in Holla-
„ tiam, Poloniam, & Moldaviam effertur,
„ verum in Hungariam, nobiliori equorum
„ propagine, illius studio, & liberalitate
„ inducta, jam felicem, novo divitiarum
„ alveo, influit. Agri quoque inculti non
„ jacent, sed multis in partibus diligentiori
„ fulcantur aratro, & centuplum jam pro-
„ ferunt, vel promittunt fructum. Quid?
„ quod sterilis antea gleba, beneficio lucer-
„ næ & onobrychis (a) semine adjuta mul-
„ tos

(a) Trifolium Lucernense, tum aliud Trifolii ge-
nus, Esparset dictum, campos mirifice fecundat,
ideoque a multis læto cum successu adhibetur.



„tos e Dynastis, & colonis ubere jam
 „messe beatos reddere incipiat. Omnia
 „hæc sub Josephi regimine, aut de novo
 „inducta, aut felici aucta incremento.”

S. Ladislaus. Quam mutata rerum
 omnium in cara olim nostra Patria facies!
 — quam diverse nunc Hungari jam cogi-
 tant! — Non jam in hasta & ense, sed in
 aratro gloria ponitur: nec divitiæ in Gal-
 lia, & Italia, sed in Patrii soli visceribus
 quærentur! — o quanto feliciora nunc
 Hungariæ illuxerunt tempora!

Ludovicus I. ” 12^{mo} Quodsi Religio
 „sub Josepho vulnus aliquod accepit, ac-
 „cepit & levamen. Demisit jam super-
 „bam alias hoc sub Rege cervicem super-
 „stitio: diversæ illæ, quas puræ illi, San-
 „ctissimæque Religioni pientuli affuerunt,
 „detractæ jam sunt plicæ: jacet fanaticismus.
 „Rudior etiam Populus Episcoporum vigi-
 „lantia, quam Josephus excitavit, Paro-
 „chorum fervore, quem accendit, Magi-
 „stratum cura, quæ ad hanc etiam præci-
 „puam Reipublicæ partem, illo jubente,
 „conversa est, jam ita, ut veros decet

„ Chri-

„ Christianos, cogitat. — Multis in locis
 „ laudabile illud, ac in solatium misero-
 „ rum, Josepho promovente, introductum
 „ pauperum institutum jam radices figere
 „ incipit. — At quis ingentes illius curas,
 „ & fatigia pro merito describet, quæ toto
 „ imperii sui tempore in augendo Paro-
 „ chiarum, & Scholarum Nationalium nu-
 „ mero exantlavit: quæ si intra breve tem-
 „ poris spatium perfectionem attingere non
 „ potuerant; uberem nihilominus pro fu-
 „ turo melle[m] promittunt. Spes quidem
 „ certe est, Leopoldi conatibus, tum ipsius
 „ Gentis Hungaræ cooperatione grande ædi-
 „ ficium, ab eo inchoatum, supremam ac-
 „ cepturum manum.”

S. Stephanus. Et dignum est hoc opus
 Christiano Principe, dignum pia non minus,
 ac forti Gente Hungara! — o duras Hun-
 garia vices! quam florens olim, quam re-
 ligione & pietate inclita, quam templis &
 ministris decora! cuncta hæc Barbarus Otto-
 manus, Civiumque in mutuas ruentium cæ-
 des furor evertit.



Leopoldus. Ego quidem votum vovi Deo meo, me templa, temporum vicissitudine everſa, toto in Regno inſtauraturum. Feci, quod potui, ſed adverſa obſtiterunt fata. Curam tamen Filio, Nepti, & Pronepoti meis hanc reliqui; ſed nec illis feliciter illuxit aſtrum.

Omnes Reges. Quod primus Leopoldus pie cepit, terminabit ſecundus.


Ludovicus I. " 13^{tio} Neque ſilentio
 „ prætermitti debet celebre illud tolerantia
 „ Chriſtianæ Decretum, quod tota late Eu-
 „ ropa ſummis ad aſtra efferitur laudibus.
 „ Equidem in Hungaria ii, quorum opinio-
 „ nes a dominante Religione paululum diſce-
 „ dunt, pleno Religionem ſuam exercendi
 „ jure, cunctisque, quæ ceteris Civibus
 „ competunt, libertatibus, ac prærogativis,
 „ hætenus etiam fructi ſunt. A Joſepho
 „ igitur id eis ſolum datum eſt, quod ce-
 „ teroquin a legibus attributum habuere. —
 „ Sed non hæc Viennæ, non in ceteris
 „ Aſtriæ provinciis libertas viguit. De-
 „ cretum itaque, quod Joſephi auspiciis
 „ editum eſt, ſi minus Hungaris, his certe
 „ opi-

„ opitulatum est. Quo accedit, quod no-
 „ vum hoc in Austria primum exortum
 „ sydus per omnes Europæ Provincias, lu-
 „ cidos suos, ac beneficos radios diffuderit.
 „ Ut adeo Religioni Catholicæ ibi quoque,
 „ ubi latebras hæctenus quærere debuit, li-
 „ berum jam caput attollere liceat.”

Ludovicus II. Equidem novis in Hun-
 garia meo sub imperio gliscentibus senten-
 tiis ferro, flammaque obstiti, juvenis sui,
 nec futura prævidi. Nunc tamen clare vi-
 deo, quanto plus lenitate, quam inconsulta
 severitate, imo vero (quid enim dissimu-
 lem?) crudelitate profectum fuisset. Sit
 ita; tale tunc seculum fuit. Tempus, so-
 lum tempus humanas sentim illustrat men-
 tes.

Uladislaus II. Bene, Fili mi Ludo-
 vice!

Ludovicus I. ” 14^{to} Ad ceteras Jo-
 „ sephi laudes victricia pariter ejus arma,
 „ quæ jam in Servia, Valachia, & Molda-
 „ via coruscant, pertinent. Novium, Du-
 „ bicza, Gradisca, Szabacsum, Choczimum,
 „ ipsa illa munitissima Serviæ Arx Belgra-
 dum



„dum jam recidere, fietque brevi, ut
 „avullæ ab Hungaria Provinciæ ad eam,
 „tanquam Filiæ ad dilectam Matrem post-
 „limio revertant.”

Mathias Corv. Præstanter! insigniter!
 nequeo me continere, quin intimum animi
 mei gaudium, quo pene exilio, prodam.
 Atque ideo fatis jam propemodum irascor,
 quæ Josephum, talia conantem, tam præ-
 cipiti morte Hungaris eripuerunt. Jam ille
 in se redivisset, jam agnito errore, alium
 se illis Regem exhibuisset, quodque sum-
 mum est, jam ille injurias a fæda sarace-
 norum Gente Hungaris illatas, victoriis us-
 que Byzantium, superbum illud Byzantium,
 quod semper odiprolatis ultus fuisset. Uti-
 nam in Leopoldi animum hoc, quo adhuc
 ravior, æstrum transfundere possem! libera
 paulo post foret Europa, & infandæ huic
 Genti vix jam intra Mæoticas & Caspias
 paludes, montemque Caucasum locus esset.

S. Stephanus. Nondum, Corvine, ad-
 est hora; sed erit brevi tempus, dum ma-
 gnum Hungariæ Imperium a mari ad mare,
 ut olim, protendetur, Gensque nostra, heu!
 nini-

nimum hactenus pressa, gloriosum denuo
caput inter omnes orbis Populos attollet.
— Sed continuetur lectio, si placet.

Ludovicus I. " 15^{to} Posteaquam reli-
„ quam Josephi vitam rudi solum penicillo
„ delineavimus, æquum est, ut ultimam
„ etiam ejus vitæ scenam exhibeamus. Si
„ unquam, hic certe bonum se Principem,
„ pium Christianum, magnum Heroem
„ ostendit. Omnium, quæ egit, memor,
„ multa non egisse voluisset. Compensavit
„ tamen, ut potuit, atque, ut æquum de-
„ cuit Principem, omnia. Quidquid in
„ Hungaria per decennium actum, manda-
„ tum, institutum fuit, uno verbo revoca-
„ vit, & quasi aranei telam longo & ope-
„ roso contextam labore, uno flatu dilacea-
„ ravit." (a)

M. Theresia. Infelix, sed adhuc ta-
men meo dignus amore Filius!

N

Lu-

(a) Decreto die 28. Jan. anni 1790. ad omnes
Comitatus & Civitates dato, cuncta ad statum
anni 1780. quo Regnum auspicatus est, repo-
suit.



Ludovicus I. " Sed Deum bonum
 „ quibus verbis moriens jam suos, heu!
 „ nimium læsos alloquitur Hungaros! Feli-
 „ ces, inquit, ego vos reddere volui, sed
 „ non rectam proh dolor! elegi viam.
 „ Nunc video Principes non, quod sibi bo-
 „ num videtur, sed quod Populo, sequi
 „ debere. Habete igitur, Hungari mei,
 „ vestras leges, in quibus totam vestram
 „ felicitatem ponitis, habete libertates, sine
 „ quibus vos vivere non posse putatis,
 „ cuncta vobis restituo: his illud, quod
 „ unum mihi adhuc superest, addo luculen-
 „ tum amoris erga vos mei testimonium,
 „ testimonium ære perennius, quod nulla
 „ exedet ætas, nulla deterget oblivio. Ag-
 „ nosco, palamque profiteor, potestatem
 „ leges condendi inter Regem & Populum
 „ ex æquo divisam esse. Utinam hoc an-
 „ tea cogitasset! sed jam ignoscite. Si
 „ quid, o boni Hungari vobis bene facere
 „ volendo male feci, compensabit Leopoldus
 „ dus " —

S. Ladislaus. Insignis, Regeque dig-
 nus actus! utinam omnes orbis Principes
 huc suos convertant oculos!

Re-

Reges Hungariæ. Profundum aliquamdiu toto in Palatio silentium.

S. Stephanus. Miranda Dei judicia!
— Continua, Ludovice, lectionem.

Ludovicus I. "Ita pace cum fide-
,, Populo Hungarico facta postrema, quæ
,, supererant, disposuit. Fratribus, & So-
,, roribus, heu! nihil tale cogitantibus, scri-
,, ptis ad omnes partes litteris, supremum
,, vale dixit, Leopoldo Regna sua, sed præ-
,, fertim Hungariam, quam teneris verbis
,, commendavit! senem suum Nestorem,
,, ægrum animo, tum amicos aliquot, quos
,, vita comite tenerius dilexit, postremo
,, salutavit. Ducibus, & militibus pro fide-
,, li Reipublicæ sibi que navata opera, publi-
,, cas egit grates. — Inde ad supremum
,, conversus Numen, ea, quæ Christianum
,, decent, perfecit, piasque inter preces
,, vultu semper intrepidò, magnam edidit
,, animam.


,, Hæc sunt, Illustris cætus, quæ ve-
,, strum sub obtutum ponenda censuimus.
,, Fecimus ita satis non tam affectui, quem
,, sanguis Josephi, a Nobis derivans, ex-



„ pſcere a nobis videbatur, quam æquitati, quæ unica nobis in beatis his ſedibus, ubi nulla partium ſtudia locum habent, præ oculis eſſe debet. Veſtrum jam eſt, æquum iudicium ferre. Ita Reges Hungariæ e domo Auſtriaca.”

S. Stephanus. Audiviſtis cuncta, Illuſtres umbræ, quæ vel in vituperium, vel in laudem novi noſtri advenæ Joſephi II. cedere poſſunt. Ego, ut, quid ſentiam, dicam: fateor, Regnum Joſephi quocunq; aſpiciam, plenum fuiſſe erroribus, horum pars præcipiti ejus ingenio, pars, eaque maxima, infidis quorundam Miniſtrorum, quos ipſe ſibi delegit, conſiliis tribuenda eſt. Peccavit ille, quod aures, fido aulae ſuæ Miniſtro Neſtori ſubtraxerit. Peccavit, quod ſvaſibus, & monitis utriusque ſenatus, ſana ſemper conſilia ſuggerentis, obluſtatus fuerit. Peccavit, quod de Populo ſine Populo, de ſtatibus ſine ſtatibus, de legibus ſine reſpectu veterum legum egerit. — Sed quis noſtrum ab errore, quoad Hungariam reximus, immunis erat? alter nimia lenitate, alter nimio rigore; alter proprio nutu,

nutu, alter infidorum Ministrorum consiliis; hic multum agendo, ille parum agendo; rursus alter Populum premendo, alter frænos ei justo magis laxando, quid multa? omnes erravimus. Hoc est imbecillis naturæ tributum, quod mortales in vitam secum adferunt, & e vita efferunt. Satis est, meo quidem iudicio, quod in multis, quæ Gentis nostræ animos justo impleverunt dolore, rectus Josephi animus, bonæque intentio adfuerit: ac diversa, quæ male cesserunt, instituta, bona & utilia Populo futura, firmiter persuasus fuerit. Indubitatum præterea est, multa ab eo in Hungaria pro incremento, splendore, & utilitate Regni, prout Ellenchus, modo relictus, docet, acta, factaque fuisse. Sed quod præcipuanæ a nobis exposcit attentionem, illud est, quod errores vitæ decursu commissos, ultimis vitæ diebus agnoverit, & quoad licuit, resarcire studuerit. — Quæ tamen dicta non eo tendunt, quasi ego vestras, felices umbræ sententias prævertere vellem. Non! Tantum meum deprehendere sensum volui. Vestrum de cetero est,



cuncta rite pensare, atque, quem Josepho locum assignare debeamus, consultare. Vestrum inquam est definire, an is in Illustrum nostrum Cætum cooptandus, atque adeo Corona, quam vivus respuit, isthic extraordinarie, salvis tamen institutis nostris, cingendus, an vero ad medium illum, non ita felicem, nec ita gloriosum, ut noster est (nam de ultimo, prout jam Frater Ladislaus sapienter præmisit, nec quæstio esse potest) relegandus veniat locum? in hoc cardo rei vertitur. Edite sententiam!

S. Ladislaus. Si totam Josephi vitam paulo attentius perpendo, quid tandem concludere debeam, vix invenio. Vitia, quorum infimulatur, sunt vera: sed nihilo minus & virtutes, ei attributæ, sunt veræ. Ita nobis beatæ umbræ videtur. Et tamen, re penitius considerata, nec vitia, vitia; nec virtutes, virtutes imo vero mirabili vicissitudine virtutes vitia, & vitia virtutes fuisse agnoscere debemus. Hoc ipsi etiam Populi, quos rexit, ipsi Cives, quorum caput fuit, eo vivo, observarunt. Unde enim
 fecus


fecus evenisset, ut eandem Josephi actionem una Populi pars vituperaret, alia ad celum usque efferret; & rursus, quod hæc extulerat, illa ad orcum usque deprimeret. Quæ causa fecus assignari poterit, cur uno in angulo Populus Josephum, ut beneficium Patrem adoraverit; in alio, ut oppressorem damnaverit? Quæ denique ratio, cur unum idemque Josephi institutum, hic luctum, ibi lætitiâ, hic lacrimas, ibi applausum, hic fatyras, ibi publica exciverit encomia? cui horum fides danda? — Utrique, meo quidem iudicio. Ita enim re ipsa o Juges, se res habet. Quævis fere Josephi actio, si modo non una, sed utraque e facie spectetur; & laude, & vituperio, multæ nec laude, nec vituperio, dignæ comperientur. Mira, & portento similis res vobis videtur? Dicam clarius, remque exemplis illustrabo. Dum Josephus colonos, præcipue Bohemos, a perpetuo mancipatus jugo liberos pronuntiavit, nonne omnium ore celebrari meruit? sed hos ipsos colonos militari catalogo inferi iussit, eaque de causa omnem iis e Patrio solo



emigrandi libertatem ademit: quid hoc aliud est, quam jugum jugo commutare? — Quæstus libertatem cuique Civi admisit; hoc laude dignum: hoc quæstoribus, infistoribus, Opificibus gratissimum: sed sublata ex toto limitatione, rerum primæ necessitatis pretia ultra modum creverunt. Quid sequutum? miserrima hominum classis vix non fame oppressa est; atque ejulatu, & lamentis cuncta repleta sunt compita. — Omnis generis fabricas magno studio pro-
vexit; res pulchra, quæve perpetuum ei nomen facit: sed eodem tempore sanerati-
oni, legibus alias restrictæ, liberum ex toto cursum admisit. Quæ sequela? Nempe Judæi, omnisque sordidorum sanerato-
rum colluvies immensas ad se traxere di-
vicias, & miseri Fabricatores, enormi ex-
hausti usura, conciderunt. — Verum est, multa Josephi instituta eo tendebant, ut re
agraria provec̄ta, auctoque interno & ex-
terno commercio Hungari felices redderen-
tur, quid optabilius Regno universo? sed,
dum cunctæ Foundationum pecuniæ e priva-
torum manibus eripiuntur, atque ita nervus
rerum



rerum omnium uno ictu præscinditur, stitit agricultura, commercium concidit. — Dicite quæso, unquam ne plura de compendiandis negotiis, quam hoc sub Rege prodiverunt statuta? & tamen nunquam plus in Dicasteriis scriptum. Ullone tempore de activa caritate, ac de sublevanda egenorum forte amplius prædicatum? & tamen nunquam major mendicorum copia. Quando in reformatione studiorum majori studio laboratum? & en! ubique pene vacui ludi litterarii. Tot tantique politiæ Commissarii, & nunquam tanta morum corruptela. Religiosi ad primævum reducti institutum, & nunquam disciplina laxior. Religio pura & sincera reddita, & nunquam plures increduli, nunquam plures libertini. Officialibus publicis extrema cum severitate invigilatum: & nunquam plures catenis onusti. Crimina horrendis punita suppliciis, & nunquam plures fures, & prædones. Denique nullo unquam sub Rege tot tantaque edita sunt normalia constituta, & nunquam leges minus observatæ. Quæ horum omnium causa? nempe res bonæ malis, utiles no-



xiis, contrariæ contrariis elisæ, destructæ: que fuerunt. Sed unde & hæc? — proprio cuncta arbitrio agere, suo unice nutu regnare, Josephi principium fuit. Multa igitur, quæ utilia quidem, laudeque in se digna sunt, constituit, sed longam funestarum sequelearum catenam non videndo; (quomodo enim solus, ac unicus homo videre potuit?) rem bonam contrario plerumque instituto corrumpit. Hinc collisio in mandatis, hinc contradictio in dispositionibus, hinc errores, hinc vitia, hinc Populi lamenta, hinc ita variæ hominum opiniones; hinc denique uno in Populo, uno eodemque tempore, & profusæ Josephi laudes, & indigna Principe convicia. Unus omnium fons, Patres conscripti! una scaturigo, arbitraria regnandi libido. Ut adeo verum illud sit, quod Bela Rex paulo ante sapienter observavit, totum Josephi regimen aliud non fuisse, quam ænigma; plus dico, aliud non fuit, quam confusum chaos, rerumque discordantium Seminarium. Parce o decus cætus nostri, & tenera Gentis Hungaricæ Mater, M. Theresia, si hæc de

tuo Filio candide, & sincere dico. Non sumus nos mortales, quibus ferrea censura virga os obturbat, & ingenuam illam libertatem, quam omnes Orbis Principes osculari deberent, suffocat. Vivat, vivat etiam in orbe veritas, & pereat indecora servitus, pereat turpis adulatio.

Omnes Reges. Vivat! pereat!

S. Ladislaus. Omnibus igitur perpensis, ac in unum nodum contractis, fateor candide, eo me deductum esse, ut, quod initio dixi, nec vitia Josephi, ut vitia carpare; nec virtutes, ut virtutes extollere jam ausim. Unum illud vitium, meo quidem iudicio, vitium denique manet, quod cuncta suo arbitratu egerit. Una illa virtus, quod ultimis vitæ diebus omnia antea retractaverit. — Atque ideo mea sententia est: — — —



Authoris declaratio.

Dum jam caelestes nostri Reges ad ferenda suffragia descenderent, ventus solito magis fenestram meam impulit, quo sonitu perterritus, repente evigilavi, & mira mea somnia longiori postea tempore animo volvi.

F I N I S.

DE BALLAGI GÉZA.



DEPARTMENT OF THE ARMY
WASHINGTON, D. C.



